C. CORNELII TACITI

DE

SITU, MORIBUS

ET

POPULIS GERMANIAE

LIBELLUS.

COMMENTARIIS INSTRUXIT

THEOPHILUS KIESSLINGIUS.

LIPSIAE,
SUMPTIBUS B. G. TEUBNERI ET F. CLAUDII
MDCCCXXXII.

PRAEFATIO.

Taciti de Germania libellus, cuius quae primum seorsim vulgata est editio forma maxima, anno 1473 et Friderico Creussnero typographo Norimbergensi assignatur, insequenti tempore tam frequentibus editionibus separatim est emissus atque tot libris libellisque a viris eruditissimis explanatus, ut qui cuncta illa volumina possideat, amplissimam et instructissimam habeat bibliothecam, in qua evolvenda et pertractanda aetatem possit consumere. Quod si quis tamen hac aetate novam eiusdem libelli editionem in publicum emittere in animum inducit, is nisi operae temere inutiliterque collocatae vituperationem subire velit, profiteri videtur, eum se esse, qui vel textum, quem vocant, e bonis codicibus, quos editores superiores aut plane non contulerint, aut certe parum diligenter excusserint, emendatiorem dare,

vel res a Tacito breviter expositas plenius probabiliusque quam adhuc factum sit, explanare atque declarare possit. Quorum ego neutrum de hac nova editione possum praedicare. Nam nulla mihi ad manus fuerunt subsidia critica a nullodum editorum superiorum usurpata. Quid quod mihi persuasi, quantum e codicibus, quorum comparandorum adhuc facta est copia, coniici licet, vix unquam futurum esse, ut huius libelli undecunque e latebris novi codices in lucem protrahantur, quorum ope ii loci, quorum in scriptura constituenda critici ob codicum vel dissensum vel depravationem vehementer fluctuant, ita prorsus expediantur, ut nihil difficultatis dubitationisque relinquatur. Ceterum quod ad criticae tractationem, quantum praesidia, quorum usus conceditur, permittunt, absolvendam adhuc requiritur, Passovii id eruditionem et acumen, si quando vir praestantissimus spem sub finem praefationis editioni suae praemissae factam explebit, atque ultimum editionis a Walthero, viro diligentissimo, cuius mortem praematuram etiam ob Tacitum lugemus, curatae tomum praestiturum esse confidimus. Neque tamen sua in genere critico laude praeter alios viros doctos fraudandi sunt *Ph. C. Hessius*, qui et editione huius opusculi anno 1824 emissa, et dua-

bus commentationibus, quibus variae in hunc Taciti libellum lectiones et observationes continentur, Helmstadii a. 1827 et 1828 evulgatis, de textu constituendo bene meruit; porro *I. C. Orellius*, qui Turici anno 1817 symbolas criticas et philologicas in Taciti Germaniam e codice praesertim Turicensi denuo excusso edidit; denique *Christi. Fr. Georg. Christph. Sellingius*, qui Augustae Vindelicorum 1830 publicavit observationes criticas in Taciti Germaniam, quibus nova codicis Hummeliani collatio accessit. Criticam igitur in hac ego editione raro tractavi, nec nisi iis fere locis, qui paene invitum cogerent, ut de scriptura vulgata vel retinenda vel mutanda disputarem, aut sicubi a textu Bekkeri, quem potissimum secutus sum, recedendum esse intellexissem. Ita animadversiones criticae hic illic insertae aliud mihi agenti vel sponte sunt enatae vel invito extortae, eaedem tamen neque tam multae neque alias ob caussas tanti momenti, ut per se solae iustam huius libelli denuo edendi caussam praebere potuerint. Sed quod alterum posui, unde nova libelli editio hoc tempore vel excusationem vel adeo commendationem invenire possit, ut novus editor plurima vel ipse commentatus sit, vel ab aliis excogitata collegerit, quae partim ad vim vocabulorum

singulorum subtilius definiendam, partim ad instituta maiorum nostrorum et civilia et sacra penitius cognoscenda et perspicienda, partim denique ad sedes populorum Germanicorum in ultima libelli parte delineatas potius quam descriptas certius terminis suis circumscribendas valeant; primaria utique studii in hac editione instruenda a me collocati pars eo pertinuit, ut interpretis partibus, quantum possem, satisfacerem. Egregiam quidem in hoc genere posuerunt operam multi superiorum editorum, in quibus Diltheio atque Hessio haud ultima laus debetur. Veruntamen cum post curatas ab his viris editiones ab aliis viris doctis permulta in permultis libris proposita essent, quae accuratiori et pleniori huius libelli explanationi insigniter inservirent, non supervacaneum aut ingratum me laborem suscipere existimavi, si in usum iuvenum, qui primum se ad hunc libellum cognoscendum darent, talem editionem pararem, in qua, quae ab aliis alibi uberius essent disputata et tractata, in brevius contracta et sub unum quasi conspectum collecta proponerentur. Ita est factum, ut multis locis diversissimae inter se virorum doctorum sententiae a me commemorarentur, nominatis quidem auctoribus, quorum essent illae sententiae, citatisque libris, ex quibus plenior rerum

tractatarum cognitio hauriri posset. Neque vero hoc mihi propositum fuit, ut omnia maxima minima ab aliis ad hunc libellum vel explicandum vel illustrandum proposita studio aerumnoso undecunque conquirerem eorumque veluti summam collectam cum lectoribus communicarem. Is in hoc quidem opusculo ut prope infinitus est labor, ita, cum eorum, quorum id scribendorum dedit occasionem, haud exigua pars ad Taciti caussam adiuvandam vel nihil vel non multum valeat, etiam inutilis atque inanis. Contentus igitur fui, ex amplis copiis ea solummodo decerpere, quae ad scientiam augendam maxime idonea atque ita comparata esse videbantur, ut ab adolescentibus, quibus haec opera est destinata, sine incommodo suo ignorari non possent. Itaque ad singulorum locorum sententiam explicandam non iis solum usus sum, quae a viris doctis vel in editionibus libri seorsim emissis, vel in iis quae universa Taciti opera complectuntur, animadversa sunt et annotata, sed etiam iis, quae per libellos ad solam Germaniam pertinentes sunt dispersa; quorum e numero hic prae ceteris commemoro *H. L. Hartmanni* observationes in Taciti Germaniam, quarum tres particulas Gubenae 1802, 1804, 1809 emisit; item *Ch. A. G. Emmerlingii de locis nonnullis*

in Taciti Germania commentationem, Lipsiae 1808 evulgatam; denique libellum bonae frugis plenissimum, quem *U. G. H. Becker* Hannoverae 1830 edidit, sic inscriptum: *Anmerkungen und Excurse zu Tacitus Germania. Cap. I. bis XVIII.* In ultima libelli parte e libris a Mannerto, Wilhelmo, de Wersebio, Reichardo, aliis, de Germanorum veterum rebus sedibusque conscriptis plurima repetii, non tamen tam multa, ut adolescentes, qui hac mea editione uti vellent, istorum ipsorum, quos dixi, librorum evolvendorum necessitate liberarem, sed quae iis viderentur sufficere, qui primum hunc libellum tractantes repetitis studiis ex istis libris, quibus iam nulla bibliotheca gymnastica caret, plura ad eum intelligendum et interpretandum pertinentia vellent cognoscere. Ex historia tamen antiquarum gentium Germanicarum pauca attuli; non quod ea impune negligi posse crederem; sed e superioribus editoribus Diltheium quidem videbam tam multa de Germanorum veterum rebus congessisse, ut studiosae iuventutis necessitatibus non leviter satisfecisse iudicandus esset. Paucissima item de nominum, quibus Germanici populi veteres insigniuntur, originatione monui, cum pleraque ex hoc genere incertissima et inani fere conatu excogitata esse constet. Plurima

scitu utilia, quae illuc spectant, collecta sunt in hoc libello: *Teutsche Alterthümer der Mythologie und Sprache, oder mythologisch-etymologischer Commentar zu Tacitus Schrift: de situ, moribus et populis Germaniae. Von M. I. Ammon u. W. Bäumlein. Tübingen*, 1817. 8.

Ceterum in universum ea est huius libelli Taciti indoles, ut, quemadmodum multorum locorum male affectorum scriptura genuina e codicibus, qui quidem adhuc excussi sunt, restitui nondum potuit, neque spes est fore ut e latebris aliquibus nova auxilia cum genuina scriptoris manu in lucem prosiliant, ita haud pauci supersint loci, quorum cum scriptura certa sit et indubia, de sententia verbis subiecta haud levis dubitatio relinquatur. Cuius quidem dubitationis caussam in eo potissimum positam esse apparet, quod Tacitus ad ea declaranda et exprimenda, quae vel suis ipse oculis vel sola mente percepisset et comprehendisset, tam paucis verbis utitur, ut nos et tempore et vita et institutis publicis privatisque ab eo remotissimi non ubique satis definite et exacte cogitatione fingere possimus, quae auctoris animo fuerint obversata.

Cum in hac huius libelli editione instruenda longe aliam, quam in Annalibus a. 1829 editis ratio-

PROLEGOMENA.

Quem Tacitus de situ, moribus et populis Germaniae reliquit libellum, is a renatis inde litteris plurimorum virorum doctorum studia atque ingenia ita excitavit et exercuit, ut quicquid libello vel explicando vel illustrando vel emendando inserviturum esse videretur, id omne summa et indefessa cura atque diligentia undecunque conquireretur et congereretur. Atque haec studia tantum abest ut nostra aetate refrixerint, ut, ex quo Germani omnem populorum historiam maiori quam olim factum erat, diligentia et contentione recolere coeperunt atque novo quasi impetu ad maiorum nostrorum res a vetustissima inde aetate pervestigandas atque illustrandas delati sunt, mirum in modum sint inflammata atque amplificata. Et sane sinu gestandus est aureus libellus atque ediscendus, ut in quo summus Romanorum auctor, quae illa aetate inter Romanos de Germanorum rebus innotuerant, incorrupta fide summaque religione tradiderit: quod hinc potissimum cognoscitur, quod quae Germanorum instituta apud Tacitum rudia et inchoata videmus, cum iis quae postera aetate Germani perfecta planeque exculta habuerunt, egregie conveniunt. Neque unquam hunc circa suas res studiorum ardorem Germanorum gravitas atque constantia patietur exstingui. Verum ut fit, cum multi in uno genere elaborant, in rebus permultis, etiam quibus minime fieri posse putaveris, inter se dissentiunt et diversa sequuntur. Atque nunc quidem in uno potissimum loco immorabimur, ut, quae de consilio, quod in hoc libello componendo et evulgando Tacitus secutus fuerit, viri docti diversissima inter se protulerunt, paullo diligentius et copiosius excutiamus atque perpendamus.

Cum igitur quaeritur, quale scriptor aliquis in opere quodam componendo consilium propositum habuerit, id quin ex ipso libri argumento potissimum sit definiendum, nemo dubitat. Sin scriptoris ipsius professio perspicua libri-

que argumento plane conveniens accedit, multo etiam facilius res conficitur. Atqui hoc libello, quem tractamus, quid Tacitus tradere voluerit, quidque vere tradiderit, his ipse verbis cap. 25. declarat: *haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.* Hoc igitur habuit consilium, ut Germanorum originem, mores, instituta et vitam, singulas gentes earumque sedes quam exactissime posset, describeret. Et haec ipsa, quae commemoravi, revera hoc libello continentur, neque hactenus de libelli consilio dissensio aut esse potest aut unquam fuit. At tum discrepantes inter se sententiae audiuntur, cum quaeritur, quibus Tacitus permotus rationibus illa ipsa de Germanis perscripserit et illo ipso tempore, quo fecit, in vulgus emiserit. Qua de re quid mihi videatur, iam hic initio disputationis afferam. Quo facto de aliis sententiis eas subiungam, quas ob singularem virorum, a quibus propositae sunt, et eruditionem et auctoritatem negligere nefas fuerit, adiectis rationibus, quibus prohibitus sum, quo minus hanc illamve assensione comprobarem.

Tacitum ut Thucydidem existimandum est iam mature hoc apud animum suum consilium agitasse, ut sui temporis historiam scriberet, initio facto ab Augusti excessu. Tam praeclara enim omnibusque numeris perfecta opera, quam sunt opera Taciti, ne e summo quidem ingenio subito et uno velut nisu prodeunt, sed post longam demum et variam atque iam prima aetate inceptam praeparationem et exercitationem evulgari possunt. Quoniam autem res, quarum Tacitus annales erat confecturus, magnam partem in Germania gestae erant, suo ipse instituto et proposito est invitatus, ut Germanicorum populorum, quibuscum magna Romani bella gessissent, tum ipsorum, tum sedium, quas incoluissent, tum institutorum, quibus uterentur, quam accuratissimam et plenissimam cognitionem colligeret, qualem habuit et Britanniae simili impellente caussa collectam, quae vitae Agricolae a cap. 10. est inserta, et Iudaeae, quam quinto Historiarum libro interposuit. Quicquid igitur de Germania eiusque populis compererat, id omne in hunc libellum congessit, qui verissime e studiis, quibus ad maiora se ingenii opera elaboranda praeparaverit, veluti effloruisse illisque prolusisse dici potest. At hic nobis occurrit Ludenus, princeps hac aetate historicus, qui in opere praeclaro, quod inscribitur: Geschichte des teutschen Volkes. Vol. I. Gothae, 1825. — p. 696 sqq. hanc exprompsit opinionem,

non esse hoc opus uno velut ingenii impetu fusum, sed eo contineri animadversiones per occasionem oblatas sensimque collectas et litteris mandatas eo consilio, ut partim uberius explicarentur, partim aliis operibus insererentur, partim pro firmo essent fundamento, cui vitae summa varietate conspicuae descriptio superstrueretur, sed quas sibi soli in tabulis notatas nunquam in publicum emittere voluerit. Post auctoris demum mortem videri eas esse repertas et ab alio quopiam ordinatas et coagmentatas. Hanc viri summi opinionem approbandam esse, nequaquam illis argumentis, quae idem p. 431. attulit, est effectum. Ut iam illa, quae cap. 27. extr. scripta sunt: *nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam;* Ludeni sententiae apertissime repugnant. In hunc enim modum nemo scribit, qui sibi soli scribit, nisi ineptus esse velit, sed qui aliis, quos ab se scripta lecturos esse exspectat. Copiosius contra Ludenum dixit Leo, historicus Halensis, acerrimi vir iudicii, in Annalibus criticis Berolinens. (a. 1827. mens. Ianuar. Fol. 18. 19. Col. 136—159.), qui evidentissimis rationibus mihi demonstrasse videtur, in magno errore Ludenum versari. Inter ea autem, quibus Ludeni rationes Leo impugnavit et convellit, certoque docuit, Tacitum non sibi sed suis cognoscendi caussa haec scripsisse, illud insignem vim habet, quod eos, quibus Ludeni sententia probabilis esse videatur, ad omnes illos libelli locos, qui ad Romanos Romanorumque rationes spectant, attentos reddit. Nonne enim ridendus esset Tacitus, si quae cap. 37. de Cimbris narrantur, sibi soli scripsisset? Et qualis esse videretur Tacitus, si sibi soli dixisset quae legimus cap. 33. extr. *maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui: quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam — ?* *) Levius

*) Gravissima sunt etiam ea, quae contra Ludenum attulit G. Hoffmeister in libro, qui inscribitur: Die Weltanschauung des Tacitus. Essen, 1831. — p, 226 sq. ex quibus hic nonnulla apponere non alienum est visum:

„Wenn die Germania aus blossen notamina besteht, die der Geschichtschreiber nach und nach, wie Gelegenheit und Zufall sie darboten, gesammelt und niedergeschrieben hat: woher kommt es denn, dass die ganze Germania mit eigenen und allgemeinen Gedanken gleichsam durchflochten ist? Der Geschichtschreiber sammelt sich wohl einzelne, reinobjektive Thatsachen zum Behuf des Behaltens: aber er notirt sich nicht seine eigenen Geistesthätigkeiten, welche durch die Thatsachen in ihm wach werden. Denn dass

porro de hoc opusculo sensisse Ludenum, etiam hinc intelligitur, quod tanta eius est perfectio et praestantia, ut reliquis eiusdem scriptoris operibus aut nihil aut certe non multum cedat. Quodsi quae eius partes ceteris sint debiliores et inferiores, id ex rerum potius de quibus ibi exponitur, natura, quam ex iis caussis quibus Ludeno videtur, ducendum esse patet. Universam quidem praestantiae illius vim ac naturam cum uberius hoc loco describere nihil attineat, illud unum commemorasse sufficit, simillimum reliquis Taciti scriptis hoc ingenii eius monumentum etiam eo esse, quod parvas quasdam suisque finibus exacte circumscriptas continet imagines easque sic institutas absolutasque, ut a tenuioribus levioribusque initiis profectae ad gravissima animosque fortissime ferientia momenta progrediantur. Singula propemodum capita, in quae totum opusculum dividitur, sunt tales in se ipsae perfectae absolutaeque picturae. Brevitatem sane etiam hic, ut in aliis scriptis, auctor sectatur, quae in eo maxime cernitur, quod magnam rerum eiusdem generis copiam una quasi mentis comprehensione complecti atque concludere aptissimisque et gravissimis verbis neglecto omni inani ornatu eloqui consuevit. Sed cum Tacitus illas res, quas mentis acie simul quasi intuetur, verbis aptissimis quidem, paucissimis tamen, ut est verborum parcus, et iis, quorum item ut Romanus natus vim quasi intuetur, exprimat, saepe fit, ut nobis, quoniam ex auctoris verbis exactam imaginem rerum ipsius animo obversantem fingere nobiscum non possumus, Taciti oratio sit paullo obscurior, neque penitus intelligatur.

Neque tamen omnes libelli partes aequabili cura et diligentia videntur elaboratae esse; quasque reliquis postponendas esse censueris, eae aut in talibus rebus describendis versantur, quibus omnino Romani non tantum, quantum nos, tribuerent, aut quas Tacitus nondum plene et penitus perspexisset. Vide modo descriptionem terrae Germanicae et singulorum populorum, quam longe absit a subtili illa et exacta singularum partium adumbratione et elaboratione, quam nos nunc in nostris scriptoribus, qui de publicis civitatum institutis, de terrarum natura, incolarumque ingenio

---

er diese vergesse, braucht er nicht zu befürchten. Eine solche eigene Zuthat aus dem eigenen Gemüthe zu den reingeschichtlichen Thatsachen sind auch manche Vergleichungen des Römischen mit dem Deutschen. Diese ganze Hälfte der Germania — das Subjektive des Schriftstellers, welches die objektiven Einzelnheiten überall trägt und durchdringt — widerstreitet Luden's Annahme, wie es scheint, offenbar. —

et moribus scribere instituunt, requirimus, et in principibus huius generis scriptoribus admiramur. Quodque hic dixi, non in solum Tacitum convenit, sed in omnes scriptores latinos; erat enim Romanorum ingenium magis factum ad agendum et res gestas describendas, quam ad illas res, quas magna huius libelli pars complectitur, diligentiori cura explorandas verbisque illustrandas. Plus in hoc genere, quam Romani, praestiterunt Graeci.

Descripsit Tacitus omnem laborem in tres partes, quarum in prima (cap. 1—5.) agitur de Germaniae situ; in secunda (cap. 6—27.) de Germanorum moribus; in tertia (cap. 28—46.) de Germaniae populis. Harum partium si prima et tertia comparantur cum secunda, sunt eae sane exiles et mancae habendae. Sed quod ad primam attinet, neminem tum Romanorum totius Germaniae imaginem veritati plane convenientem delineare potuisse liquido affirmari licet. A duobus inde saeculis Germanos inter et Romanos frequens et varius usus in pace et bello intercesserat. Ut enim multi Germani et iuvenes et viri in exercitibus Romanis militaverant, aliique vel in legationibus vel obsidum loco vel captivi in Romanorum fines ipsamque adeo urbem Romam venerant; ita vicissim Romani inter expeditiones magnam Germaniae partem peragraverant, sub Druso (a. 745.) ad Albim usque processerant, sub Domitio Albim superarant, omnemque tractum inter Rhenum et Albim interiectum non solum in bello, sed etiam itineribus negotiandi caussa factis quoquoversus obierant et incolarum vitam suis ipsi oculis inspexerant, mutua hospitia iunxerant, multi item Romani obsidum et captivorum loco in Germania vixerant et post multos annos in libertatem vindicati erant; quid quod in regionibus inter Rhenum et Visurgim sitis Germanorum res ad suam Romani formulam disponere et instituere coeperant. Ita apertum est, non defuisse Romanis occasionem, omnem Germanorum vitam et publicam et privatam pernoscendi. Atque sane descriptio populorum inter Rhenum et Visurgim incolentium, quamquam non omnibus partibus tam est exacta et plena, quam nunc nos velimus, plenior tamen est et accuratior quam ea, qua reliquos populos est complexus. Quodsi quaerimus, unde sit factum, ut in his populis minus desideriis nostris quam in illis Taciti ingenium satisfaciat, promptum est respondere, quod in regionibus, quas hi populi incoluerant, Romani neque per longum tempus sunt commorati, neque ita eos tenuerunt, ut ab incolis Romani iugi impatientibus non vexarentur, et quod tota haec terra iis deliciis quibus Romanorum libidines inhiarent, plane carebat. Cum igitur et

terrae istae exiguam lucri faciendi spem mercatoribus ostenderent et ipsi Germani Romanas lautitias minime appeterent, accidit, ut ne mercatores quidem hos fines tam frequenter quam regiones beatiores obirent. Si qui tamen peragrarent, cum et humanitate parum essent exculti et lucrum magis suum quam incolarum vitam, mores et instituta respicerent, his de rebus talia domum renuntiare non potuerunt, quae veritati plane responderent aut certe curiositati satisfacerent.

Multa item, quae ad iustam singularum huius libelli partium absolutionem et perfectionem desiderantur, non desiderarentur, si Tacitus ipse unquam in Germania fuisset versatus et aliquamdiu commoratus. At nulla vel paullulum probabili ratione doceri potest, Tacitum ipsum in Germania fuisse, quaeque de Germanorum moribus institutisque narret, ea non ex aliis accepisse, sed suis ipsum oculis vidisse. Etenim iam hoc pro certo poni potest, si fuisset in Germania, futurum fuisse, ut huius rei saltim tenue aliquod indicium inter scribendum auctori vel imprudenti alicubi excideret. Huiusmodi indicium nusquam deprehenditur. Nam quod dicit cap. 8. *vidimus Veledam*, id iam constat ad universos Romanos Taciti aequales pertinere et hanc vim habere: *Veleda nostra aetate vixit.* Conf. Diltheius in introductione p. 24. et ad cap. 8. Et quod nusquam tale indicium exstat, qualia exstant apud alios scriptores, ut apud Plinium H. N. XVI, 1. *sunt vero in septemtrione visae nobis* (gentes) *Chaucorum, qui maiores minoresque appellantur;* id magnam sane vim etiam in hoc scriptore habet. Neque silentio hic praetermittendus est locus Plin. H. N. VII, 17. pr. *Invenimus in monumentis, Salamine Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse, incessu tardum, sensu hebetem et iam puberem factum, voce robusta, absumptum contractione membrorum subita, triennio circumacto. Ipsi non pridem vidimus eadem fere omnia praeter pubertatem in filio Cornelii Taciti equitis Romani, Belgicae Galliae rationes procurantis. ἐκτραπέλους Graeci vocant eos: in Latio non habent nomen.* Lipsius cum in Vita Taciti scribit, *initium dignitatis illi sub Vespasiano fuit, a quo Plinio auctore procurator datus Galliae Belgicae rationes principis administravit,* Tacitum historicum fuisse existimat illum Cornelium Tacitum, qui in Gallia Belgica rationes principis administravit. Idem tamen ad Hist. I, 1. ait, verius id capi de patre historici. Priorem Lipsii rationem ut Ryckius ad locum Hist. cit. probavit etiam *G. A. Arndtius* in disputatione ita inscripta:

Quatenus Taciti de Germania libello fides sit tribuenda. Lipsiae, 1775. 4. p. 13 sq. At falsam eam esse, certissime inde cognoscitur, quod cum Tacitus anno 78 matrimonium inierit, Plinius autem anno 79 mortem obierit, nullo hic modo Taciti historici filium talem, qualem describit, videre potuit. Sed quamquam ille Tacitus historicus esse non potest, potest tamen esse Taciti historici aut patruus, aut, quod iam Lipsio placuit, ipse pater. Atque patrem fuisse, vero proximum videtur esse Passovio V. Cl. in disputatione: Ueber Tacitus Germania, p. 58. quae est inserta huic libro: Philomathie von Freunden der Wissenschaften u. Kunst. Herausgegeb. v. D. L. Wachler. Erst. Bd. 1818. — Qui si fuit, fieri utique potuit, ut Tacitus historicus in Germania et nasceretur et educaretur, atque, cum Plinius ista vidit, adolescens viginti prope annorum in Belgio in patria domo degeret; et ea, quae posthac in hac Germaniae descriptione coniuncta in publicum emisit, tum ibi praesens colligeret. Passovii sententiam amplexus est etiam Diltheius p. 22 sq. Quae quamquam per se non est improbabilis, illud tamen mirari non desino, quod nec ullum huius rei indicium usquam proditum est et multa non ita exacte ut potuissent a teste oculato, sunt tractata. Quam vero C. L. de Woltmann in Germanica Taciti versione (tom. V. p. 217 sqq.) proposuit opinionem, puerum istum ἐκτράπελον a Plinio memoratum esse ipsum Tacitum historicum, eam iam nemo probabit, qui reputaverit, sic utriusque pueri descriptionem a Plinio coniungi, ut dubitari non possit, quin etiam equitis romani filius ἐκτράπελος aeque ac filius Euthymenis Salaminii immatura morte fuerit exstinctus. Si enim puer Romanus vitalis fuisset eoque a graeco puero diversus, hoc quidem Plinius silentio non praetermisisset. Verum haec omnia in mera opinatione sunt posita et ita comparata, ut ad libellum melius faciliusque intelligendum nihil prorsus valeant. Neque huic porro rei quicquam est tribuendum, quam Arndtius identidem inculcat, maiorem esse Taciti fidem, si ipse in Germania fuerit, quam si non fuerit. Hoc qui sibi persuadet, ei aliunde certa argumenta sunt circumspicienda et quaerenda, quibus efficiat, Tacitum revera fuisse in Germania. Sed si non fuit, eius fides propterea minime elevatur. Cum enim omnia Taciti scripta clarissime ostendant, fuisse eum virum longe gravissimum veritatisque amantissimum, nemini dubium esse debet, quin, etiamsi non fuerit in Germania, non narraverit, nisi quae accepta a fide dignis auctoribus pro certis et indubitatis ad posteros se proditurum esse confideret.

Neque illud denique hic est omittendum, quod quidam,

ut idem Arndtius, suspicati sunt, Tacitum post praeturam sub Domitiano (Annal. XI, 11. anno 841 = p. Chr. 88.) administratam, quoniam in Agricola cap. 45. conqueratur, quod cum Agricola socer (a. 846 = p. Ch. 93.) diem supremum obiret, non in urbe fuerit, ut qui quattuor ante annis ex urbe discesserit, illo ipso tempore pro praetore provinciam aliquam, Germaniam forsitan, administrasse. Verum, ut admodum est verisimile, provinciae administrandae caussa Tacitum ab urbe afuisse, ita Germaniam hanc provinciam fuisse, ea somnii instar suspicio est habenda.

Sed, ne quid dissimulemus, quemadmodum nullum exstat indicium, fuisse Tacitum in Germania, sic item nullum potest afferri, unde constet, eum ibi non fuisse. Ut cum cap. 27. dicit, *haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus*, minime inde concludi potest, Tacitum in Germania non fuisse. Nam quamquam vocabulum *accipiendi* hanc habet vim, ut non usurpetur nisi de iis quae quis vel esse vel fuisse vel futura esse ex aliis audiat; hoc tamen rem non conficit, cum pleraque ad illum usque locum a Tacito tradita ex eo sint genere, ut, etiamsi auctor in Germania fuerit, ea tamen suis ipse oculis videre non potuerit; eritque hoc verbum illuc potissimum referendum, quod sua Tacitus magis ex aliorum vel Germanorum vel Romanorum ore exceperit, quam ex monimentis litteris consignatis deprompserit.

Transimus ad examinandam opinionem, quam *U. I. H. Beckerus* proposuit in libello, qui inscribitur: Anmerkungen und Excurse zu Tacitus Germania. Hannoverae, 1830. 8. Is igitur Tacitum existimat videri hunc libellum voluisse inserere postremis historiarum libris, qui interciderunt. Maxima pars enim intercidit huius operis, quod continuit res Imperatorum e gente Flavia, Vespasiani, Titi et Domitiani (annorum 824 — 849 = p. Chr. 71 — 96.). Haec opinio non magis quam Ludeni videtur probari posse. Quod hic primum quaerendum foret de loco opportuno, ubi ista quae de Germanis Tacitus collegit, vel voluisse videretur inserere, vel re vera inseruerit, de eo nunc quidem quaeri non potest, quoniam tota illa Taciti scriptorum pars, quae opportunum horum recipiendorum locum habere videri posset, exstincta est, ideoque is qui de tali loco disputare in animum induceret, disputationem de nihilo institueret. Si tamen fingere licet tali in re, non me posse cogitatione fingere confiteor, ubi in narratione rerum illis temporibus gestarum haec Germaniae populorumque Germanicorum descriptio tam commode potuerit inseri, quam Britanniae et Iudaeae descriptiones suo quaeque loco sunt

positae. Atque, ut haec descriptio revera sit operis maioris pars, ne credi quidem tum poterit, voluisse eam Tacitum alicubi inserere; immo, si, quae hoc libello continentur, sunt maioris operis pars, non voluisse ea Tacitum inserere, sed revera inseruisse statuendum est, cumque illa quibus haec fuerunt inserta, interierint, miraculi sane instar habendum est, quod haec ita sunt servata, ut nulla parte operis continuatio sit interrupta.

At ea est libelli indoles et magnitudo, ut vel hae solae impediant, quo minus Beckeri sententiae assentiamur. Quis est enim, qui sibi persuadeat, potuisse Tacitum a se impetrare, ut operis alicuius amplioris, quod in parte historiae Romanae narranda versaretur, continuationem et perpetuitatem interrumperet tam longo velut episodio et quod per se solum unum quoddam esset corpusculum suisque numeris absolutum atque legentium animos a rebus Romanis avocatos ad solos Germanos penitus cognoscendos converteret? Cum opere enim Pliniano, quod summa rerum varietate viget et hoc ipsum habet propositum, ut lectores plurimarum et diversissimarum rerum cognitione imbuat, historica Taciti opera, ut quae summa arte excellant, quorumque singulae partes ad unum et certum finem referantur, nullo modo componi possunt. At Beckero magni ad suam rationem obtinendam momenti hoc esse videtur, quod nonnullae in hoc libello obiectae difficultates non possint removeri, nisi voluisse auctorem maiori eum operi inserere statuamus. Et primum quidem illud hoc loco Beckerus attulit, quod nullus neque Annalium neque Historiarum codex, quot quidem adhuc innotuerint, hunc simul de Germania libellum contineat, qui aut solus in suis codicibus descriptus exstet, aut adiectus sit dialogo de oratoribus, et semel tantum eodem cum vita Agricolae codice comprehendatur; hos vero codices universos esse recentes, pluresque eorum adeo recentiores, quam editionem principem (Spirensem, a. 1470. Venet. fol.). Quae difficultas Beckero non aliter videtur removeri posse, quam si fingamus, lectorem aliquem, qui Taciti libros haberet integros, hanc de Germania particulam casu aliquo a toto corpore avulsam descripsisse, quo factum, ut item casu eadem servaretur. Sed huius modi opinationibus, quae innumerae excogitari possunt, tum demum aliquid tribui potest, cum et in se ipsae sunt verisimiles et illud, cuius caussa excogitantur, simplici et facili modo expediunt. Atqui neutrum in istam a Beckero propositam rationem cadere apertum est. Mirum utique est, quod hic libellus, de quo agitur, non est servatus nisi in codicibus recentibus.

At semper et ubique in rebus humanis dominatur casus, cuius ludibria in rebus quae multis ante saeculis evenerint, sola coniectura ad firmam certamque rationem frustra revocaveris. Mihi igitur, ut ipse quoque coniectando aliquid audeam, illud inde potius factum esse videtur, quod, cum hic libellus a Tacito seorsim esset editus, primis post factam editionem temporibus fere neglectus iacuerit, quoniam Romani uberiorem Germaniae cognitionem, quam hic libellus suppeditaret, ex aliis fontibus hausissent, atque earum etiam gentium, quarum aut nulla apud Tacitum notitia aut non talis, in qua lubens acquiescas, exstaret, cognitionem expeterent, vel omnino talem rerum Germanicarum descriptionem prae bellis narratis non magnopere curarent.

Quod porro Beckerus monuit, Taciti Germaniam posterioris aevi scriptoribus et romanis et graecis, item scriptoribus medii aevi propemodum esse incognitam, quique haberent cognitam, attribuere eam aut alii auctori, aut certe non Tacito historico, id non valde admirabuntur, qui ab ipso Beckero admoniti recordabuntur, integra librorum Taciti exempla ab initio fuisse rarissima, cum aut consulto opprimerentur aut per ingeniorum torporem, posteriori aetate inductum, negligerentur eoque in oblivionem abirent. Sordebant enim post Taciti aetatem ampla opera historica, qualia sunt Taciti et Ammiani, opuscula autem habilia, qualia sunt Suetonii vitae et Eutropii breviarium, mirum in modum placebant. Quod cum ita esset, fieri potuit, ut hic libellus non solum eandem, quam reliqua huius scriptoris opera, fortunae iniquitatem, sed propter argumenti naturam maiorem etiam graviorem que experiretur.

Quod tertio loco dixit Beckerus, Tacitum, cum hunc de Germania libellum composuit, multa de Germania huiusque terrae gentibus nondum habuisse comperta, quae habuit, cum opera maiora composuit, item non unum huius libri locum illis quae in istis libris traduntur, repugnare; hoc ipsum, si quid aliud, certissime monstrat, Germaniam, si quidem Tacitum habet auctorem, de quo iam nemo dubitat, seorsim, et quidem ante Annales et Historias esse editam. Summam enim iniuriam faceret Taciti ingenio, si quis crederet, talem scriptorem in uno et eodem opere in talibus rebus sibi repugnare, in quibus sibi constare non arduum sit et ne inferioris quidem loci scriptoribus negatum. Ergo cum negari nequeat, deprehendi repugnantias, si singuli Germaniae ceterorumque librorum loci inter se comparentur, has inde natas esse sibi persuasit Beckerus, quod Tacitus, cum in hoc libello exarando sibi proposuisset, universalia tantum de Germania eiusque incolis tra-

dere, ut generalis quaedam imago exprimeretur, quae diversas res coniunctas repraesentaret, singula negligere coactus fuerit. Ita esse factum, ut haec imago, quamvis universe spectata a veritate non abhorreret, in singulis tamen partibus saepe ab ea recederet. Haec vero Beckeri oratio ne speciosa quidem est habenda. Nam aliud est singula negligere, aliud, singula ita tradere, ut veritati repugnent, potestque et terrae et populi alicuius imago generalis componi, quae licet singula in ea sint neglecta, tamen non tantum in universum, sed etiam in ipsis singulis, quae non satis diligenter sint elaborata, veritati non repugnet. Quamobrem de istis repugnantiis aliter erit existimandum, earumque fons alibi quam in auctoris negligentia quaerendus. Quaecunque igitur in hoc libello cum iis quae in reliquis Taciti operibus de Germanis eorumque institutis traduntur, non conveniunt, ea a Tacito non per negligentiam, sed hanc ob caussam ita esse scripta existimo, quod Tacitus, cum hoc de Germania opusculum, maiorum operum prolusionem quandam, componebat, nondum omnia, quae ad Germanos pertinerent, plene cognoverat. Aucta demum emendataque rerum Germanicarum scientia ad Historias Annalesque componendos animum applicuit. Sed quae in Germania minus recte accurateque essent tradita, ea sic imperfecta reliquit, quoniam hunc ei libellum maiorum operum cura et elaboratio quasi de manibus subtraxerat. Itaque prorsus assentior Arndtio, qui in libello supra laudato p. 24. *priorem* ait *libellum retractundo conferendoque potuit corrigere et conceptas forte maculas delere.* Prolusionem denique maiorum operum hunc esse libellum, etiam hinc cognoscitur, quod nonnulla in illis reperiuntur, quae ex Germania illuc translata et ad verbum repetita sunt.

Postremo etiam de eo est dicendum, an possit probabilis ratio afferri, cur hic libellus eo ipso tempore editus sit, quo editum esse constat. Editus autem est sub Traiani principia, qui ab anno 98 ad 117 regnavit, et quidem cum Tacitus saltem annum agebat quadragesimum.

Passovius igitur, qui hunc locum subtilissime et doctissime tractavit in disputatione, quam supra citavimus, sibi persuasit, publicorum temporum tum forma Tacitum ad hunc libellum conscribendum et edendum esse impulsum. Cum Romani enim Germanos saepius vicissent quidem, nunquam autem plane debellassent, ideoque his contemptui esse coepissent, factum esse, ut singulae Germanorum gentes foedera inter se inirent, unde Romanis magnum periculum immineret, neque latuisse imperatores Romanos, quod Germani molirentur. Atque Traianum quidem, qui iam an-

tea tam felici successu contra Germanos pugnasset, ut anno 99 ob res in Germania gestas Germanici nomine insigniretur, quoniam maximam belli partem nondum profligasset, novam tum adversus Germanos expeditionem agitasse. A qua expeditione ut Romani deterrerentur, a Tacito editum esse hunc libellum, in quo omnia ita essent tradita atque adornata, ut summum istius expeditionis periculum in clarissima luce collocaretur. Huic viri acutissimi doctissimique opinioni ut accedam nullo modo a me impetro. Primum enim, ut concedam, novam tum Traianum adversus Germanos formidolosos expeditionem paravisse, hic quidem libellus nequaquam ita est comparatus, ut eius auctor Traianum ab exsequendo tali conatu revocare voluisse videatur. Etenim iam hoc dubitationem movet, quod auctor nusquam ne levissima quidem significatione indicavit, illud se voluisse. Atqui ad talem auctoris voluntatem agnoscendam et in pectus demittendam non sufficiunt illi loci, quibus magnum Romanis impendens a Germanis periculum ostenditur, qualis est iste cap. 33. supra a me repetitus. Huc accedit, quod iste locus ne pertinet quidem ad solos Germanos; nam qui ibi commemorantur hostes et gentes, sunt etiam alii praeter Germanos; locus enim est generalis, licet eius addendi occasionem dederint Germani. Porro ut in libello paucissima insunt, quae ad tale auctoris consilium possint referri, ita plurima deprehenduntur, quae eidem aut prorsus adversentur aut certe pro superfluis sint habenda, ut, si Traiano certum fuisset contra Germanos bellum gerere, talis libellus ad animum eius movendum alioque flectendum omnino nullam vim habuisset, cum praesertim Traianus sua experientia edoctus multo melius quam Tacitus nosset, quid a Germanis esset metuendum, quid non metuendum, et quibus opibus periculum, si quod instaret, posset propulsari.

Ex quibus denique scriptorum veterum locis ostendi potest novum tum a Traiano contra Germanos bellum fuisse agitatum et apparatum? Anno quidem 92 Ulpius Crinitus Traianus a Nerva in Germaniam inferiorem cum imperio missus erat. Ibi cum relaxatam disciplinam militarem restituisset gentesque transrhenanas a Rheni transitu arcuisset, ab eodem Nerva est adoptatus et in senatu Caesar Germanicus appellatus (Mascov. hist. germ. I. p. 141.). Post Nervam ipse per 18 annos cum summa sapientia, moderatione et iustitia imperium administravit. Et quamquam Germanorum animos adversus Romanos minime exacerbavit, illi tamen non poterant videre aequo animo restituta a Traiano secundum Rhenum, Moenum et Danubium praesi-

dia, quaeque alia sive ut Germanis minaretur, sive quod ipse in metu esset, paraverat. De bello tamen illo tempore adversus Germanos parato nihil usquam relatum legitur. Posteriori sane tempore cum Traianus Decebalum vicisset et Daciam a. 107. in provinciae formam redegisset, Germanis ab oriente arma videtur inferre voluisse. Conf. Luden. hist. germ. II. p. 11 sqq. Pluribus contra Passovium et Ludenum disputavit etiam Carolus Hoffmeister in libro supra laudato: Die Weltanschauung des Tacitus, p. 220 sqq.

Postremo non alienum esse arbitror paucis hic de eo dicere, quod a multis affirmari audimus, singulari quodam amore Germanos Tacitum amplexum esse. Quibus isti tandem rationibus commoti illud affirmant? Ego vero nihil reperio, quod id credere nos cogat. Tacitus gentes Germanicas, quales eas vel e monimentis scriptis vel ex aliorum narrationibus cognoverat, summa fide et religione descripsit, ut nihil sciens aut in melius aut in deterius immutaret. Agnoscit igitur multas in Germanis virtutes, sed tales fere, quae solent esse populorum rudium; mortem eos narrat contempsisse, ubi semel animus in furorem esset coniectus; insignes fuisse patientia, non illa quidem ex animi fortitudine et deliberato consilio profecta, sed ad quam natura ipsa compellat; feram coluisse castitatem et pudicitiam, quam saevis suppliciis propositis obtinerent. At simul iis tribuit magnam animi inconstantiam et mobilitatem, quae impediret, quo minus inter eos vel prima vitae cultioris semina spargerentur et progerminarent; summam item morum asperitatem et importunitatem, in fruendo intemperiem, animum in rebus componendis transigendisque arma et fustem rationi praeferentem; talem denique imaginem expressit, ut rudem planeque incultum populum videamus. Multa quidem huic picturae pulcra et laudabilia sunt admista, quibus illo tempore Romani a pristina simplicitate et virtute degeneres cum summo suo damno carerent, eaque ita reliquis sunt inserta, ut ad contrarios Romanorum mores respiciatur; sed quamquam saepissime oratio ad Romanos revolvitur, haec tamen orationis conversio nusquam est res primaria, sed sponte nata ex animi humani natura, quae talis est, ut rerum contrariarum imagines ipsae inter se suscitent. Huiusmodi cum locis possunt comparari isti Horatiani, in quibus a poeta Venusino corrupti Romanorum mores aliorum populorum integritati et probitati opponuntur gravissimisque verbis castigantur. Ex his igitur locis minime, quod nonnullis placuit, colligi potest, singulari quodam amore Tacitum esse amplexum Germanos eosque Romanis quasi pro exemplo ad imitandum proposuisse. Qualis si in eo fuisset

amor, numquam, opinor, ut hoc unum addam, a se impetrasset, ut cap. 33. extr. haec scriberet: *maneat, quaeso, duretque, si non amor nostri, at certe odium sui; quando in urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.* Quo de loco conf. Ludeni histor. germ. Vol. I. p. 424. — Neque illud ut credam adduci possum, bene Tacitum intellexisse, a populis germanicis quasi novam generis humani generationem initium esse habiturum. Nam huiusmodi nova generatio neque Tacito neque alii scriptori antiquo in mentem venit aut venire potuit. Erant utique talis generationis semina iam tum sparsa, non quidem inter Germanos, sed in initiis doctrinae christianae. Vid. Süvern. üb. d. Kunstcharakter d. Tacitus, in d. Abhandlungen d. königl. Akad. d. W. zu Berlin v. J. 1822. u. 1823. p. 135. Solam veritatem Tacitus est secutus; animum Romanum numquam exuit; Germanos non magis quam reliqui Romani, amavit, sed semper timuit.

In hac igitur permanemus sententia, propositam esse in hoc libello imaginem, in qua Germaniam eiusque populos cum horum moribus institutisque plane ad veritatem, quatenus eam tum Romani in tali rerum genere assequi et possent et vellent, et ea arte, ut ubique summum auctoris ingenium facile agnoscatur, expressos videamus. Nata ea est ex historicis Taciti studiis. Sed cum amplior esset et uberior pictura, quam quae maioribus operibus alicubi posset interponi, non pauca item contineret, quae cum illis rebus, quae in illis operibus narrantur, non arcte cohaererent, seorsum eam evulgare et proponere constituit. Quod ut faceret, etiam eo est adductus, quod eas esse Germanorum proprietates et virtutes intellexerat, ut plurimum tum Romanorum interesse videretur, si horum populorum, inter quos et Romanos a plurimis inde annis variae et multiplices rationes intercederent, et a quibus non leve Romanis, quorum res iam magis magisque labi et propemodum praecipites ruere coepissent, periculum immineret, plenior et accuratior, quam tum esset, contingeret notitia. Ceterum cur illo ipso tempore, non prius, non serius, editus fuerit, id frustra quaeri apparet.

C. CORNELII TACITI

DE

SITU, MORIBUS ET POPULIS GERMANIAE LIBELLUS.

BREVIARIUM LIBELLI.

Cap. 1. Germaniae situs, 2. incolae indigenae. auctores gentis. nominis origo. Hercules. 3. baritus. ara Ulixis. 4. Germani gens sincera. habitus corporum. 5. Terrae natura. non aurum, non argentum, nec aestimatum. 6. Germanorum arma, equitatus, peditatus, ordo militiae. 7. reges, duces, sacerdotes. 8. feminarum virtus et veneratio. Veleda. Aurinia. 9. dii, sacra; simulacra nulla. 10. auspicia, sortes; ex equis, e captivo praesagia. 11. consultationes publicae et conventus. 12. accusationes, poenae, ius redditum. 13. scuto frameaque ornati iuvenes, principum comites. eorum virtus et fama. 14. gentis bellica studia. 15. in pace venatio, otium. collata principibus munera. 16. urbes nullae. vici, domus, specus suffugium hiemi et receptaculum frugibus. 17. vestitus hominum, feminarum. 18. matrimonia severa. dos a marito oblata. 19. pudicitia. adulterii poena. monogamia. liberorum numerus non finitus. 20. liberorum educatio. successionis leges. 21. patris, propinqui amicitiae inimicitiaeque susceptae. homicidii pretium. hospitalitas. 22. lotio, victus, ebriorum rixae. consultatio in conviviis. 23. potus, cibus. 24. spectacula. aleae furor. 25. servi, libertini. 26. fenus ignotum. agricultura. anni tempora. 27. funera, sepulcra, luctus.

28. Singularum gentium instituta. Galli, olim valida gens, in Germaniam transgressi, Helvetii, Boii. Aravi-

sci, Osi, incertum genus. Germanicae originis populi Treveri, Nervii, Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii. 29. Batavi, Chattorum proles. Mattiaci. decumates agri. 30. 31. Chattorum regio, habitus, disciplina militaris; vota virtutis incentiva. 32. Usipii, Tencteri equitatu praestantes. 33. Bructerorum sedes a Chamavis et Angrivariis occupatae. 34. Dulgibini. Chasuari. Frisii. 35. Chauci pacis studio, iustitia et virtute nobiles. 36. Cherusci et Fosi a Chattis victi. 37. Cimbrorum parva civitas, gloria ingens. Romanorum clades. Germani triumphati magis quam victi. 38. Suevorum numerus, mores. 39. Semnonum religio, victimae humanae. 40. Longobardi. Reudigni. Aviones. Angli. Varini. Eudoses. Suardones. Nuithones. Herthae cultus communis. 41. Hermunduri. 42. Narisci. Marcomanni. Quadi. 43. Marsigni. Gothini. Osi. Burii. Lygiorum civitates, Arii, Helvecones, Manimi, Elysii, Naharvali; horum numen Alcis. Gothones. Rugii. Lemovii. 44. Suiones classibus valentes. 45. mare pigrum. Aestyi, matris deum cultores, succinum legunt. Sitonibus femina imperat. 46. Peucini, Venedi, Fenni, Germani an Sarmatae? eorum feritas, paupertas. Hominum monstra, Hellusii, Oxiones.

CAP. I.

Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis

CAP. I. *Germania omnis*] Intelligitur Germania a Romanis dicta *magna*, *barbara*, *transrhenana* (conf. Cellar. Not. O. A. II, 5. p. 447 sq. ed. I.), libera illa a Romanorum imperio; nam Germania *cisrhenana*, Augusti temporibus divisa in *superiorem*, a Rheni fontibus incipientem (conf. Dio LIII, 12. Mascov. hist. German. III, 5.), in qua habitarunt *Vangiones*, *Triboci*, *Nemetes*, populi a Tacito cap. 28. memorati, et *inferiorem*, ad Oceanum usque Britannicum porrectam, Romanae ditionis fuit. Add. *Aug. de Wersebe*, üb. d. Völker u. Völkerbündnisse d. alt. Teutschlands. Hannov. 1826. p. 303 sqq. *Germania omnis* dicitur, quatenus cohaerens est suisque finibus quaqua patent contenta. Nam adiectivum *omnis* declarat, corpus quoddam cogitandum esse ut totum continuum suisque finibus conclusum (ita Caes. B. G. I, 1. *Gallia omnis*. Sallust. Iugurth. 18, 1. *omnis Africa*); *totus* autem, nullam partem deesse. Vocabulum *omnis* in eandem fere sententiam accipit *U. I. H. Becker* in libro: Anmerkungen u. Excurse zu Tacitus Germania cap. I bis XVIII. (Hannov. 1830.) p. 20 sq.

Raetisque] Raetia primitus complexa est fines Venetorum cum Tyroli italica et illa terra, quae hodie vocatur Graubünden. Has terras subegit Drusus, qui idem vicit Vindelicos inter Hilaram, Danubium et Licum habitantes; post quem Tiberius ubique ad Danubium usque imperium Romanum protulit. Eaedemque terrae annis 15 et 13 ante Chr. nat. domitae in duas sunt distributae provincias, quarum quae inter Oenum et Pannoniam sita orientem spectat, antiquum Norici nomen retinuit, quae ad occidentem vergit in latitudinemque extenditur a sinistra Danubii ripa usque ad Alpes tyrolicas et ultra, in longitudinem ab Hilara ad Oenum, ea tum est appellata Raetia, cuius pars fuit Vindelicia *cum splendidissima provinciae* (i. e. Raetiae) *colonia* (i. e. Augusta Vindelicorum), quam Tacitus c. 41. memorat. (Conf. Werseb. l. c. p. 268. Mannert. Geogr. Graec. et Rom. III. p. 524 sq.)

2

Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. cetera Oceanus

Eam vero regionem quae nunc Graubünden appellatur, veteris Raetiae partem fuisse, etiam inde cognoscitur, quod Tacitus Rhenum dicit in Raeticis Alpibus oriri: cum quo consentit Plinius H. N. 3, 20 (24), ubi *Raetorum* inquit *Vennonetes* (im Veltlin) *Sarunetesque* (um Sargans) *ortus Rheni accolunt.* Ceterum Tacitus Raetiae attribuere videtur etiam Noricum, quod ab oriente attingit Pannoniam et cap. 5. cum Pannonia coniungitur. (Conf. Werseb. p. 237.) Denique scriptura *Räetiisque* quamquam in omnibus libris exstat, tamen est repudianda, quoniam Raetiam constat post Taciti demum aetatem in primam et secundam divisam esse. Conf. de hoc omni loco Werseb. p. 266 sqq. Accedit etiam quod Galli, Pannonii, Sarmatae, Daci, quae sunt incolarum nomina, commemorationem regionis respuunt. De diversa nominis scribendi ratione conf. Tzschuck. ad Eutrop. VII, 9. Nos cum Cellario (orthograph. I, p. 116.), Fea (ad Horat. Od. IV, 4. 17.), Niebuhrio (Röm. Gesch. Vol. I. p. 113. ed. 2.) aliisque aspirationem omisimus.

Pannoniis] Pannonii incoluerunt Hungariae partem in dextra Danubii ripa, Austriae tractum orientalem et Stiriam, maiorem Carnuntii partem, Croatiae partem, Sclavoniam et Bosniae laciniam secundum Savum. Conf. Mannert. tom. III. p. 555.

Sarmatis] Sarmatarum nomen complectitur permultos populos per immensos campos a Vistula ad Tanaim usque et Caucasum incolentes. Conf. Werseb. p. 252 sqq. Mannert. IV. p. 169 sqq.

Dacisque] Dacia quam Traianus in provinciae formam redegit, continuit Temeswaricum bannatum, Transsilvaniam cum Buckowina et Galiciae parte australi, Moldaviam, quantum quidem huius regionis situm est ab occasu fluvii Pruth, et Wallachiam. Mannert. IV. p. 188.

montibus] Montes orientem versus Germaniam terminantes ii sunt, qui a Danubio per Hungariam superiorem ad Carpathios montes pertinent. Vid. Mannert. III. p. 150. Ptolem. II, 11. *τὴν δὲ ἀνατολικὴν πλευρὰν ὁρίζει ἡ ἀπὸ τῆς εἰρημένης ἐπιστροφῆς (τοῦ Δανουβίου) πρὸς τὰ ὑπερκείμενα Σαρματικὰ ὄρη διάστασις.*

cetera Oceanus ambit, etc.] Scripturam *ceteram*, si maiorem auctoritatem haberet quam editionis Monacens., quam Passovius in praefatione suae editionis p. XIII. exiguae ait esse utilitatis, ut quae peccet quoties a Puteolano recedat, ut ex-

ambit, lates sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac re-

quisitiorem praeferrem. Sic Tacitus in Agricola 17. *cum cetero orbe.* — Vocabulum *sinus*, quod interprete Servio ad Virg. Aen. XI, 626. significat omne id quod curvaturam facit, aeque de terra atque de mari potest usurpari, et ita quidem, ut de terra usurpatum designet partem terrae ultimam et extremam vel laciniam eamque, propria verbi vi non plane obscurata, curvatam inflexamque. Sic de ingenti curvatoque terrarum tractu inde a Syria usque ad Euphraten Tacitus Annal. IV, 5. *dehinc initio ab Syria usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur.* Eadem vocabuli vis est Germ. c. 29. ubi *decumates agri* appellantur *sinus imperii*; et c. 37. *eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent.* Potest item huc referri locus cap. 35. *donec in Chattos usque sinuetur*, et quod Horatius dicit Od. I, 33. 15. *Hadriae curvantis Calabros sinus.* Ex hoc igitur huius vocabuli usu, cumque Tacitus hic non in maris sed in terrae natura describenda versetur, non dubito hunc locum cum Passovio intelligere de magnis curvatisque tractibus, quibus septemtrionalis Germaniae oram in Oceanum procurrentem recte sibi finxisset Tacitus, vel cum Dukero ad Flor. II, 6. 46. de promontoriis et paeninsulis in extremum Oceanum septemtrionalem procurrentibus. Ad soles maris sinus refert Beckerus p. 22. in participio *complectens* zeugma agnoscens, ut dictum sit pro his: *sinus* efficiens *et ins. i. sp. complectens.* — *Insularum immensa spatia*, quod est dictum ut ap. Ciceron. N. D. II, 64. 161. *spatia immensa camporum*, rectius intelliguntur *insulae Danicae*, quam quae ad Amisiae, Visurgis, Albis ostia sunt sitae, Borkum, Langeroog, Helgoland, Nordstrand, quas insulas Tacitus licet multis locis vocabulo *immensus* liberius paulo utatur, ut c. 6. *in immensum vibrant*, immensi tamen spatii esse dicere non poterat. *Oceanus* hic complectitur oceanum septemtrionalem (die Nordsee) et mare Balticum (die Ostsee).

nuper cognitis quibusdam gentibus — aperuit.] Insignis haec est orationis et subdura brevitas; nam loci sententia in hunc fere modum est supplenda: *id quod intellectum est, nuper cognitis* etc. De quibus bellis et gentibus locus sit accipiendus, viri docti dissentiunt. Colerus accipit de bellis Drusi Germanici, qui quater in Germaniam trans Rhenum invasit. Conf. Dio Cass. lib. LIV. LV. Flor. IV, 12. Mascov. hist. Germ. Vol. I. p. 65 — 69. quos auctores citat Werseb.

2 gibus, quos bellum aperuit. Rhenus Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus, septemtrionali Oceano

p. 7. Suet. Claud. I. *Is Drusus in quaesturae praeturaeque honore dux Raetici, deinde Germanici belli oceanum septemtrionalem primus Romanorum ducum navigavit.* Alii accipiunt de Tiberii expeditionibus ante Christum ab anno 9. ad 7. et post Christ. ab anno 2. ad 4. adversus Germanos susceptis. Locos huc pertinentes Vell. Pat. II, 105. 106. repetiit *Leop. de Ledebur* in libro sic inscripto: Das Land u. Volk d. Bructerer — Berolini, 1827. p. 189. Ad eundem Tiberium, non ad Drusum Ruhnkenius ad Vell. II, 106. refert etiam locum Plin. H. N. II, 67. *Septemtrionalis oceanus maiore ex parte navigatus est auspiciis Divi Augusti Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium.* Lipsius, quem sequitur Sprengelius (in notis suae Germaniae editioni adiectis p. 90.), intelligit bella sub Domitiano (a. 83 — 87.) cum Chattis, Suevis, Sarmatis gesta, quae Chariomerum Cheruscorum regem et Masyum Semnonum regem aperuerunt. De bellis Domitiani et Traiani cogitat etiam Becker, p. 23. Idem Sprengelius *gentes nuper cognitas* habet pro Buriis et Marsignis (c. 43.), qui Decebali socii Traianum ab expeditione contra Dacos suscipienda avocarunt. Vid. Dio LXVIII, 8. Mannertus denique III. p. 326. intelligit Suionas et Sitonas, quos ante Tacitum nullus scriptor memoravit, et *bellum* accipit de pugnis inter mercatores Romanos et Suiones commissis.

Rhenus Raeticarum Alpium etc.] sunt Grisonum Alpes (die Graubündner Alpen), ubi Rhenus tribus fontibus oritur. Caes. B. G. IV, 10. *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt.* Lepontii habitarunt in Leventina (Liviner-Thal), quae vallis est media inter Rhodani et Rheni fontes. Strabo IV, 6. §. 6. ὁ Ἀδούλας τὸ ὄρος, ἐξ οὗ ῥεῖ καὶ ὁ Ῥῆνος ἐπὶ τὰς ἄρκτους. Conf. Wilhelmi German. p. 61. — Quod Ernestius ait, *versus* non esse participium, quoniam ita copula *et* deberet esse post *ortus*, in eo fallitur: nam loci sententia haec est: Rhenus oceano miscetur, postquam modico flexu se in occidentem vertit. Cuius flexus initium est prope Arnhemium. Pluribus Ernestii rationem confutavit *H. L. Hartmannus* in *observationum in Taciti Germaniam partic. I.* Gubenae 1802. p. 4 sqq. Beckerus p. 23. cogitat de flexu a Bregentio usque ad Basileam. Ceterum Rhenus proprie dicitur *Oceano misceri*, quod, ut Longolii verbis utar, Rheni aqua cum aqua marina statim coniungitur, secus atque in

miscetur. Danubius molli et clementer edito montis 8
Abnobae iugo effusus plures populos adit, donec

aliis multis amnibus fit, qui diu sui similes manent et per longum maris tractum aquam dulcem ferunt, velut Danubius, narrante Solin. Polyhist. c. 13. Add. Diltheius ad h. l.

Danubius — hauritur.] De Danubio conf. Mannert. III. p. 424 — 429. Plin. H. N. IV, 24. *inde ostia Istri. ortus hic in Germaniae iugis montis Abnobae ex adverso Raurici Galliae oppidi, multis ultra Alpes millibus ac per innumeras lapsus gentes Danubii nomine immenso aquarum auctu et unde primum Illyricum alluit, Ister appellatus, sexaginta amnibus receptis, medio ferme numero eorum navigabili, in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur.* Avienus descript. orb. 437 sqq.

Abnoba mons Istro pater est; cadit Abnobae hiatu
Flumen; in eoos autem convertitur axes
Euxinoque salo provolvitur; ora per aequor
Quinque vomunt amnem, qua se procul insula Peuce
Exserit.

Danubii fontes Romanis innotuerunt per Tiberium cum adversus Vindelicos militabat. Strab. VII, 1. §. 5. ἡμερήσιον δὲ ἀπὸ τῆς λίμνης προελθὼν ὁδὸν Τιβέριος εἶδε τὰς τοῦ Ἴστρου πηγάς. Conf. Mannert. III. p. 520 sq. Wilhelm. Germ. p. 56. — *Abnobam* Romani appellarunt septemtrionalem silvae nigrae partem, ubi Nicer, Danubius aliique fluvii oriuntur. Ptolemaei contra montes Abnobaei, ἄβνοβα, αὔνοβα, αὐνοβαῖα ὄρη (lib. II, 11. p. 57. 59.) sunt in Germania septemtrionali, ubi inde a Moeno usque ad Amisiae fontem eodem ubivis cum Rheno intervallo porriguntur. Conf. Wilhelm. p. 32. Mannert. III. p. 412 sq. Reichardi German. sub Romanis p. 33 sq. Ledebur. p. 6 sq. Molter. in Ersch. et Gruber. Encycl. Vol. I. p. 145. Grotefend. in Seebod. Bibl. crit. a. 1828. nr. 8. Passovius in textu reliquit *Arnobae* et haec addidit: „Lectio quae inde ab Rhenano libros impressos occupavit, *Abnobae*, debetur Hermolao Barbaro. Addiderunt fidem marmora duo in silva nigra reperta. In utroque liquido comparet nomen Dianae *Abnobae.* In textu tamen quicquam mutare dubitavi, quum nec apud Plinium Hist. Nat. IV, 24. lectio recepta satis sit certa.“ — Dictionem *molle et clementer editum iugum* copiose illustrarunt Taciti editores. Cum verbis Columell. II, 2. *collis clementer et molliter assurgens,* Heindorfius ad Cic. N. D. II, 57. 143. comparat ex Platon. Phaedro §. 9. ἠρέμα προσάντης. Add. Ammian. Marcell. XVI, 12. (p. 109. Bip.) *exercitus prope collem advenit molliter*

in Ponticum mare sex meatibus erumpit: septimum enim os paludibus hauritur.

CAP. II. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et ho-

editum. — De Danubii ostiis conferas quae Hessius in editione sua ad h. l. congessit. — Fluctuat scriptura inter *erumpit* et *erumpat.* Illud ex editione Puteolani primus reddidit Pichena. Tacitum particulae *donec* et indicativum et coniunctivum iungere, testantur loci collecti a G. Böttichero in Lexico Taciteo p. 109 sq. Cum neutra lectio e codicibus et veteribus editionibus plus quam altera auctoritatis habeat, locus autem Annal. II, 6. *Rhenus servat nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur,* nostro simillimus sit, hic quoque coniunctivus videtur esse praeferendus. At iste huic non adeo est similis, ut coniunctivus sit praeferendus, qui ibi aptus est, hic non aptus. Recte enim ad Annalium locum Waltherus animadvertit, coniunctivum rem cogitare iubere non per se constantem, sed e verbis adiectis pendentem, ut dicatur Rhenus servare nomen ea condicione vel limitatione, quae additur: *donec O. misceatur.* Huiusmodi orationis conformationem et implicationem enuntiationes in Germaniae loco propositae aegre admittunt. Denique particulam *enim*, quamquam non exstat in edit. Norimb. neque in cod. Stuttg., tamen retinui. Taciti enim haec mens est: sunt quidem Danubii revera septem ostia; tamen sex tantum in Pontum erumpunt; nam septimum paludibus hauritur. Conf. Becker ad h. l.

CAP. II. *Ipsos Germanos — mixtos*] Per pronomen *ipse* a terrae descriptione transit ad incolarum descriptionem, ut Agric. 13. *ipsi Britanni* etc. Wilhelmus *indigenas* esse Germanos negat, et quamquam quo tempore in suam terram immigraverint incertum sit, id tamen totis saeculis ante tempora Troiana evenisse arbitratur. Gatterer (die Weltgeschichte in ihrem ganzen Umfange, Tom. I. p. 235. 375.) opinatur, Cimmerios, qui antiquissimis temporibus ad Bosporum opibus praevalerent, a Scythis autem a. 700. ante Christ. ex istis sedibus pulsi sint, in Germaniam esse profectos eamque incolis frequentasse. Cui opinioni illud repugnat, quod Cimmerii fuerunt originis Thracicae, Germanici autem et Thracici populi originem habent diversam. Vid. Wilhelm. p. 6. Mannerto contra (III. p. 474.) ut Celtae in australi Germaniae parte, ita Germani ultra saltum Hercynium habitantes videntur indigenae fuisse. Cum hac tamen ratione conciliari

spitiis mixtos, quia nec terra olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant; et immen-

nequeunt quae refert Livius V, 34. *Prisco Tarquinio Romae regnante Celtarum, quae pars Galliae tertia est, penes Bituriges summa imperii fuit: ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaque cum sua tum publica praepollens, quod imperio eius Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse iam exonerare praegravante turba regnum cupiens Bellovesum ac Sigovesum, sororis filios, impigros iuvenes missurum se esse in quas dii dedissent auguriis sedes ostendit. Quantum ipsi vellent, numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercynii saltus.* At Moneius p. 11. id tum factum esse arbitratur, cum antiquissimis temporibus homines in regionibus septemtrionalibus sedes mutarent et qui eiusdem essent originis, eadem regione pergentes nova domicilia quaererent; ita teutonicam stirpem secundum Tanain progressam utrumque littus maris baltici occupasse, celticam autem secundum Danubium profectam regiones occidentales possedisse; ad Danubium igitur antiquissimis temporibus nusquam Germanos, at Celtas consedisse. Ioseph. de Hammer in Fr. Krusii libro qui inscribitur: Archiv f. alt. Geograph. II. p. 124. in Asiae provincia dicta Erman (hodie Transoxana s. Chowaresm) antiquissimam Germanorum patriam quaerit, cui sententiae probandae argumentum a Germanicae et Persicae linguae cognatione petitum adiecit in libro inscripto: Fundgruben des Orients. Fasc. 6. Add. Diltheium ad h. l. et Lud. Kufahlium in histor. Germanor. P. I. (Berolini, 1831.) p. 5 sq. — Coniunctivus *crediderim* exprimit modestiam vel haesitationem, eoque saepius utitur Tacitus, ut cap. 45. cap. 4. *nec tamen affirmaverim.* cap. 18. *nec laudaveris.* Plura exempla suppeditat citatus ab Hessio Sanctius in Minerva I, 13. p. 122 sq. Ceterum *credidi* est *ich bin überzeugt;* ut Horat. Od. III, 5. 1. *caelo tonantem credidimus Iovem regnare.* Epist. I, 7. 5. *cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.* — De verbis *adventibus et hospitiis* falsus est Güntherus, cum *adventibus* ait significari certas sedes, *hospitiis* peregrinationes. Immo haec vocabula, ut cap. 40. *quaecunque adventu hospitioque dignatur,* arctissime sunt coniungenda et significant diuturniorem peregrinorum apud Germanos commorationem. Plurali numero scriptor usus est propter pluralem *aliarum gentium.* Item patet *aliarum gentium adventus* non esse accipiendos de totis

sus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris
2 **ab orbe nostro navibus aditur. quis porro praeter**

gentibus advenientibus, sed de singulis hominibus aliunde advenientibus, ut mercatoribus et colonis. Conferendus etiam est usus nominis *exitus* cap. 37.

quia nec terra etc.] *Advehebantur* significat *adveniebant*; neque in hoc vocabuli usu est zeugma agnoscendum; nam recte monuit Longolius, *vehi* esse *de loco ad locum se conferre* sive *equo* sive *pedibus* sive *lectica* sive *curru* sive *navi*. — Quid in hoc loco probari nequeat, exponit Diltheius. De particulis *nec — et*, quibus Tacitus etiam cap. 7. init. utitur, conf. Ramshorn. gram. lat. p. 820. ed. 2. — In proximis vocem *ultra* neque cum *immensus* esse coniungendam neque ad *Oceanus* referendam, sed absolute accipiendam, ut sit posita respectu habito Romae vel Italiae, valeatque ultra mare mediterraneum, ultra fretum Gaditanum, sive ultra fines imperii Romani, recte Hartmannus existimat. In formula *utque sic dixerim* notanda est particulae *que* traiectio, quam eandem animadvertimus his locis: Dial. de orat. c. 34. *utque sic dixerim*, *pugnare*. cap. 14. *Materni pro carminibus suis laeta*, *utque poetas defendi decebat*, *audentior — oratio*. Item in particula τε ap. Platon. Phaedr. cap. 52. Ast. πάνυ σμικρᾶς ὅταν τε βούληται, οἰκτρᾶς. qui loci opitulantur iis de quibus disputat *Wellauerus* in programmate scholastico, Vratislaviae 1828 edito, quod continet *Additamenta ad Vechneri Hellenolexiam*. — *Adversum Oceanum* Pichena interpretatur *quasi vestigiis nostris oppositum*, *ut antipodes*; Passovio Oceanus extra orbem Romanum situs eodem sensu *adversus* videtur dictus esse, quo Ciceroni Somn. Scip. 6. de remotissimis regionibus locuturo *aversa terrae pars*. I. F. Gronovius locutionem inde illustrat, quod qui ex Italia Oceanum per Germaniam proprie dictam ingrediatur, *adversa aqua* videatur vehi sive aestu contrario, praecipue versus Septemtriones: ibi enim consurgere mundum, qui in austris Libyae prematur. Beckerus vertit: *der die Schiffahrt aus unserm Meer hindernde*, *uns entgegenströmende Ocean*: eaque haud dubie est mens Taciti. Sed si nihil aliud nisi hoc cogitavit, non intelligitur, quamobrem locutionis emolliendae caussa addiderit *ut sic dixerim*; nam quod adiectivum *adversus* illo sensu de fluminibus frequentissime usurpetur, non item de mari, hoc non sufficit ad additamenti necessitatem asserendam, cum de illo mari aeque proprie ac de fluminibus dicatur. Mihi igitur Tacitus videtur addidisse, quod illo adiectivo Oceanum ut personam repraesentavit, cuiusmodi animatio inest etiam in hoc

periculum horridi et ignoti maris Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris,

loco: cap. 34. *nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri.* sic demum illa locutio iure adiecta videbitur. Cic. de orat. III, 41. 165. *atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est, praeposito saepe verbo: ut si olim, M. Catone mortuo, pupillum senatum quis relictum diceret, paullo durius; sin, ut ita dicam, pupillum, aliquanto mitius.* — *Orbis noster* est ambitus terrarum circa mare mediterraneum sitarum Romanisque subiectarum. Conf. I. H. Vossius ad Virgil. Ecl. IV, 17. p. 194. Adde locos ab Hessio citatos Plin. H. N. XII, 26. 12. *in orbe nostro proxime laudatur Syriacum.* Vell. Pat. I, 2. *in extremo nostri orbis termino.* Tacit. Agric. 12. *dierum spatia ultra nostri orbis mensuram.*

Asia aut Africa—patria sit.] Cic. pro leg. Manil. 6, 14. *Asia tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum quae exportantur, facile omnibus terris antecellat.* De laudibus *Italiae* conf. Virgil. Georg. II, 136 sqq. et ibi Voss. p. 324 sqq. Plin. H. N. XXXVII, 77. — Sen. de provid. c. 4. p. 232. Bip. *Omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit, Germanos dico et quicquid circa Istrum vagarum gentium occursat. Perpetua illos hiems, triste caelum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant, in alimenta feras captant.* — Post verbum *peteret* mente addendum est *habitandi caussa.* Locutio *informis terris* est referenda ad multitudinem saltuum horridorum et paludum foedarum. Conf. cap. 5. init. — De particulis *nisi si* vox *nisi* indicat exceptionem, subiectaque particula *si* condicionatum quod dicitur, magis acuit. Illud praeterea est animadvertendum, cum cuilibet enuntiato non nisi una coniunctio possit praemitti, copulationes, quales sunt *nisi si, nisi quod*, per ellipsin esse expediendas, ut brevis sententia suppleatur, v. c. nostro loco, *nisi* hoc sit *si.* Vis particulae *nisi* est *hoc excepto, mit dieser Ausnahme.* Annal. VI, 25. *nisi si negatis alimentis assimulatus est finis.* XV, 53. *nisi si cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est.* VI, 24. *vix fides, nisi quod — epistolae servorum nomina praeferebant.* Agric. 6. *nisi quod in bona uxore tanto maior laus.* Ita etiam Graeci loquuntur, ut Thucyd. I, 17. ἐπράχθη ἀπ᾽ αὐτῶν οὐδὲν ἔργον ἀξιόλογον, εἰ μὴ εἴ τι πρὸς περιοι-

asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si pa-
3 tria sit. Celebrant carminibus antiquis (quod unum

κους τοὺς αὐτῶν ἑκάστοις. Similis est usus ellipticus particularum *sed* et *ἀλλά*, quem ad Annal. I, 3. attigimus.

celebrant carminibus — conditoresque.] Annal. II, 88. (Arminius) *canitur adhuc barbaras apud gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incuriosi.* Eginhart. Vit. Carol. M. cap. 29. *barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et facta canebantur, scripsit memoriaeque mandavit.* Vocabulum *memoriae* significat etiam quicquid rerum memoriam conservat, itaque latius patet quam *annales*, qui sunt libri continentes brevem temporum, hominum, gestarumque rerum memoriam (Chroniken). Sic Schützius in Cl. Ciceron. — Mox dedimus *Tuistonem.* Scriptura fluctuat inter *Tuisconem*, *Tuistonem* et *Thuistonem.* Passovius antiquissimos secutus testes *Tuisconem* scripsit; ita etiam Bekkerus; Sprengelius praefert *Thuistonem*, nam gentem se appellavisse *thiuda goths* (gutes Volk) et conditorem suum *thiut guths* (guter Gott); regem enim gothice vocari *thiudan*, et gentem anglosaxonice *theod.* itaque recte scribi *deutsch*, ut ex *theins* factum sit *dein*, ex *thiubs* — *dieb*, ex *thaurnius* — *dorn*, ex *that* — *das.* Adde quae in Annalib. critic. Berolin. a. 1827. mens. Ianuar. n. 18. 19. col. 136 — 159. *Leo*, Prof. Halens., retulit: nimirum gentes gothice dici *thiudos*, inde adiectivum *thiudisks*, i. e. theodiscus; litteram dentalem *th* in lingua germanica mutari in *d*; *thankjan*, danken; *than*, dann; *ik tharf*, ich darf; *iu* abire in *eu*, *niuja*, neu; *giutan*, geussen; *stiuran*, steuern; *siukei*, seuche; ita *thiudos*, *thiudisks*, *diudisks* = *deudisks* = deudisch, deutsch. Scripturam *Thuistonem* praefert item Grotefendus in litteris datis ad Ph. C. Hessium; cuius vide *varias lectiones et observationes in Taciti Germaniam*, editas Helmstadii 1827. p. 4. Is *Thuistonem* (unde Thusnelda et Düssentag) interpretatur *belli deum*, Martem, atque *Mannum* eius filium non hominem, sed bellatorem. Moneius contra in libro: Geschichte des Heidenthums im nördl. Europa. T. II. p. 4. unice probat scripturas *Tuistonem* et *Herminones.* A *Tuistone* gentis partem a meridie habitantem videri vocatam *Teuton* sive *Tiuton*, unde post gentium migrationem, quae dicitur, factum *Thiudiskon* et *Theodiskon*, nunc *Teutsche.* Porro, *Theod* sive *Theut* idem esse quod *Tuisto* vel potius *Tiuts* (p. 8.); denique *Teutsch* et *Mensch* esse adiectiva, quorum illud significare id quod a *Teut*, hoc, quod

apud illos memoriae et annalium genus est) *Tuistonem deum terra editum et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios as-*

a *Mann* habeat originem; significare igitur homines a Theut et Mann oriundos. Nimirum a *Mann* est *Mannisko*, *Mennisko*, *Menneske*, *Mensche* (p. 6.). De vocabulo *Mensch* idem sentit Grimmius in libro: deutsche Rechtsalterthümer. Tom. I. p. 302. Wilhelmus l. c. p. 22. hanc amplectitur rationem ut statuat nomine dei *Tuist* vel *Tuisk* dicti significari appellationem populi; *Mannum* esse hominem, eumque ut filium pertinere item ad populum, quem item per tres filios in tria genera dividat. Illud igitur hoc mytho Wilhelmo videtur declarari; populus constat hominibus iisque in tria genera divisis. Hoc tamen in hac Wilhelmi ratione est incommodum, quod, si *Tuist*, dei quidem nomen, populum significat, hoc dei nomen iam continet vim vocabuli *mann*, *mensch*. Concinnior foret mythus, si *Tuist*, nomen dei, contineret notionem *genitoris*, *patris*, vel *validi*. A qua ratione non esse alienus videtur Wersebe p. 117. ut cui *Teutones* videantur ii esse quos nos vocamus *die tüchtigen*. Quod autem Moneius p. 6. ait, vocabulum *originem* referri ad *Tuistonem*, et *conditores* ad *Mannum*, in eo viro doctissimo adstipulari non possum; nam si Tacitus a se dicta ita intelligi voluisset, haud dubie scripsisset *conditorem*. Immo utrumque vocabulum ad utrumque simul pertinet, coniunxitque Tacitus, ut saepissime, synonyma.

Manno — vocentur] Plin. H. N. IV, 28. 14. *Germanorum genera quinque, Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. alterum genus Ingaevones, quorum pars Cimbri, Teutoni ac Chaucorum gentes. proximi autem Rheno Istaevones, quorum pars Cimbri mediterranei. Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci. quinta pars Peucini, Basternae, supra dictis contermini Dacis.* (In quo loco haec scriptura genuina videtur: *quorum pars Sicambri. Mediterranei Hermiones.* Conf. Ledebur, p. 126. 136.) Wilhelmus l. c. p. 89. *Ingaevones* interpretatur maris accolas, a voce Valliana *eigion*, quae significat *mare*, et *aigen*, *aigeun*, quo nomine Islandiae incolae *oceanum* appellant. *Istaevones*, si nomen ducitur a voce Valliana *ist*, quae significat *humilis*, sunt *incolae regionum humilium*; sin ab *ist*, quod significat *west*, sunt *qui habitant occidentem versus*. *Herminones* (quae forma genuina videtur) aut ab *ar*, i. e. mons, aut ab *her*, altus, sunt *qui loca edita, montes incolunt*; aut ab *ar*, *her*, i. e. bellum,

signant, *e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur.* quidam autem, licentia vetustatis, *plures deo*
4

bellatores. Idem vir doctus assignat *Istaevonibus* in sinistra Rheni ripa Batavos et Canninefatas, Gugernos, Ubios, Vangionas, Nemetas et Triboccos; in dextra ripa Bructeros, Marsos, Tubantes, Dulgibinos, Ansibarios, Chamavos, Usipetes, Tencteros, Sygambros, Mattiacos; *Ingaevonibus* Frisios, Chaucos, Angrivarios, Saxones, Cimbros, Teutonos; *Herminonibus* Chattos, Chassarios, Cheruscos, Fosos, Hermunduros, Nariscos, Marcomannos, Quados, Gothinos et Osos, Marsingos, Semnones, Lygios; *Vandaliis* Burgundiones, Gothones, Rugios, Sidenos, Varinos, Anglios, Langobardos, Reudingos, Avionas, Eudoses, Suardonas et Nuithonas. Moneius l. c. p. 5. suspicatur, Manni filios vocatos fuisse *Inga*, *Hermin*, *Ista*; Ingae progeniem esse Ingaevones, maris accolas; secundi filii Herminones, mediae terrae incolas; tertii denique Istaevones, regionum australium incolas; hasque gentes posthac dictas esse Saxones, Francos, Suevos. Wersebio p. 331. sq. *Istaevones* sunt *Aussenwohner*, qui Galliae fines ad Rhenum attingebant, populi occidentales; *Ingaevones, Inwohner*, qui retrorsus interiusque ad mare septemtrionale habitabant, populi septemtrionales; *Herminones*, qui mediam terram tenebant. Idem vir doctus, ut Sprengelius p. 93., admodum probabiliter statuit, *Herminonum* nomen idem quod *Germanorum* sonare; idemque nomen iam Alexandrinis notum fuisse, patet ex Orphic. 1141. (1135.)

ἔνθα δέ οἱ χθαμαλή τε καὶ εὔβοτος Ἑρμιόνεια
τείχεσιν ἠρήρεισται ἐϋκτιμέναις ἐπ' ἀγυιαῖς.

Verissime item animadversum est, nullam esse Plinii cum Tacito dissensionem, cum quae duo genera, primum et quintum, Plinius addidit, eas regiones, quas Tacitus a Germania quae proprie dicitur, excludat, incoluerint. De istis nominibus item lectu dignissima sunt, quae Grotefendus in Hessii commentationibus prima et secunda disputat.

quidam autem licentia vetustatis — nomina] Codd. duo Vat. et ed. Nor. habent *quidam ut in licentia*, quam scripturam Passovius, Diltheius, Hessius, alii receperunt; nos scripturam cod. Tur. et edd. vett. cum Bekkero reduximus, his caussis moti: primum quod in tali orationis nexu ineptum est inferre praepositionem *in*, ut quae indicet statum durantem, qualis licentia certe non est, ut non magis apte dicatur hoc loco *in licentia*, quam cap. 33. *in urgentibus fatis.* Sufficit nudus ablativus *licentia vetustatis*, ut cap. 22. *licentia ioci*,

ortos pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant, *eaque vera et*

et apud Cicer. N. D. II, 3. 7. *quodsi ea ficta credimus licentia fabularum.* Accedit quod, si *ut* asciscitur, etiam in hac particula *ut* vis vocabuli *licentia* inest. Denique *autem* et *ut in* propter litterarum similitudinem facile in codd. possunt confundi. Ceterum *autem* cum hoc loco librorum nitatur auctoritate, quamquam Tacitus disiunctas sententias non raro infert particula adversativa non addita, hoc tamen loco non magis quam cap. 16. (*abdita autem et defossa*) est omittenda. — Cum Moneius p. 8. proxima verba *plures gentis appellationes* etc. ita accipit, tamquam Marsi, Gambrivii, Suevi, Vandalii a quibusdam olim pro totidem diversis universae gentis teutonicae appellationibus sint habitae, in eo errat. Neque enim Tacitus universum Teutonum corpus simpliciter *gentem* appellat, efficiuntque verba *gentis appellationes* unam notionem Volksbenennungen, et recte faciunt, qui statuunt illis verbis contineri prioris in Istaevones, Ingaevones et Herminones divisionis accessionem. Cuiusmodi plenior divisio est etiam ista Pliniana, in qua apparent Vindili, qui haud dubie iidem sunt cum Taciti Vandaliis. Mythologicam originem Plinius ut geographus neglexit. Aliter tamen sentit Wersebius, qui hanc divisionem, cuius partes sunt Marsi, Gambrivii, Suevi, Vandalii, ut quae tria genera sistat, primum Vandaliorum, alterum Suevorum, tertium gentium originis non Suevicae, ex quibus Marsi et Gambrivii, i. e. Chamavi, memorentur, ab ista priore plane diversam existimat. — *Marsis* Mannertus (III, p. 168.) assignat utramque Luppiae oram ad Amisiam usque; Wilhelmus (p. 128 sqq.) territorium Monasteriense, comitatum Rietberg, partemque eius tractus qui oppido Hamm est a meridie; Reichhardus (p. 28.) orientalem tractum Paderbornensem; Ledebur (p. 106.) eos collocat in agro Osnabrucensi prope locum, ubi Varus cum suis periit. Wersebius contra (p. 63 sqq.) sedes eorum deprehendit ad Laganam circa Marburgum, quod oppidum a Marsis nomen acceperit. Quibus permotus caussis sic statuat, uberius exponit not. 71. — *Gambrivii*, Strab. VII, 1. 3. *Γαμαβριούιοι*, quos alii putant eosdem esse cum Chamavis, de quibus agitur cap. 33., a Ledeburio p. 145. rectius habentur pro ea Sigambrorum parte, quae in pristinis huius gentis sedibus inter Cheruscos, Chattos et Chattuarios remanserat. Memorabilis est h. l. in cod. Stutt. scripturae varietas *marsos si, gambri (v) os*, ut Tacitus scripsisse videatur *Marsos, Sigambrios.* Conf. Hess. com. II. p. 4. et Seebodii Neu. Archiv. 1830. no. 51. 52. —

antiqua nomina. ceterum Germaniae vocabulum

De *Suevis* conf. cap. 38. — De *Vandalis*, sive *Vandaliis*, (ut recentiores, etiam Bekk. exhibent fere h. l. *Vandalios*,) qui Plinio dicuntur *Vindili*, conf. Wilhelm. p. 86 sq. quocum consentit Voigtius in Histor. Boruss. Tom. I. p. 38. Plinius eo nomine appellare videtur accolas littoris aquilonaris Germaniae usque ad chersonesum cimbricam. Horum Vandaliorum pars fieri potuit ut terra a maris littore in interiora penetraret partesque montis Asciburgii (Riesengebürge) cum Lusatia incoleret, ut recte Dio LV, 1. Albim in montibus vandalicis oriri dixerit. Maris eos accolas fuisse negat Mannertus, Tom. III. p. 345 sqq.

ceterum Germaniae vocabulum — vocarentur.] Iam Pichena vidit non de suo Tacitum aevo loqui, sed sermones referre ad veteres scriptores, haecque e superiori verbo *affirmant* pendere. — Vocabulum *nuper* non de tempore proxime esse accipiendum, iam nemo dubitat. Ita Cicero de N. D. II, 50. init. *nuper* explicat *paucis ante saeculis;* similisque est usus adverbii *νεωστί*, ut apud Thucyd. I, 95. Nomen autem *Germanorum*, universam illud quidem gentem comprehendens, ut ante Caesaris aetatem non videtur in usu fuisse, ita singulas gentes eo iam olim appellatas esse et hic locus ostendit et inscriptio a. 1547. inventa, quae ad annum urbis 681. pertinet, de qua adeundus est Wilhelmus l. c. p. 15., neque negligenda sunt quae Rühsius in libro: Ausführliche Erläuterung der ersten 10 Kap. der Schrift des Tacitus über Deutschland, p. 93 sq. disputavit.—Iam quae sequuntur verba *quoniam — vocati sint*, ea nequaquam continent caussam, unde Germaniae vocabulum recens esse et nuper additum intelligatur. Nemo scriptor enim diligens et subtilis sic ratiocinabitur: quoniam Tungri primum Germani sunt vocati, Germaniae vocabulum est recens. Alia igitur ratione quam adhuc est factum, in hoc loco expediendo est versandum. Nimirum omnia egregie inter se sunt apta et connexa, si plena ante particulam *ita* interpunctione sublata haec verba *quoniam qui primi Rhenum* etc. cum verbis *ita nationis nomen* etc. coniunguntur. Ita Tacitus veteres auctores secutus primum tradit *Germaniae nomen esse recens;* tum in hac vindicanda sententia ita versatur, ut primum meminerit, qui sint primi dicti Germani; tum addat, ita h. e. ab hoc initio, factum esse, ut illud nomen paulatim in consuetudinem veniret, et denique eo omnes appellarentur. Quo facto quis dubitat, quin etiam terra Germanorum Germania sit appellata? Dudum de hoc loco sic senseram, cum Wyssio, (conf. krit. Bibl. N. Folge. 1830. n. 71.)

recens et nuper additum; quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri,

similia in mentem venisse cognovi. Ut autem de hoc omni loco, de quo nunquam virorum doctorum consensio sperari potest, meam quoque sententiam promam, pauloque subtilius disputem, primum dicendum videtur de vocabulis *natio* et *gens*. Nimirum ex multis huius libelli inter se collatis locis apparet, Tacitum, ut alios scriptores, in his Ciceronem de N. D. I, 23. 62., vocabulis *nationis* et *gentis* promiscue atque indistincte uti. Cuiusmodi loci sunt: cap. 2. *Germanos — minime aliarum gentium adventibus — mixtos.* cap. 4. *Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos.* cap. 10. *proprium gentis.* cap. 14. *si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, — petunt ultro eas nationes; quae tum bellum aliquod gerunt.* cap. 15. *gaudent finitimarum gentium donis.* cap. 19. *paucissima in tam numerosa gente adulteria.* cap. 25. *exceptis iis gentibus quae regnantur.* cap. 28. *ut quaeque gens evaluerat.* Ibidem: *ab Osis, Germanorum natione.* cap. 33. *vicinarum consensu nationum.* cap. 34. *aliaeque gentes.* Ibidem: *utraeque nationes.* cap. 38. *nunc de Suevis — quorum non una gens. — propriis adhuc nationibus nominibusque discreti.* cap. 39. de iisdem Suevis: *tamquam inde initia gentis.* cap. 40. *Langobardi — plurimis ac valentissimis nationibus cincti.* Hi igitur loci apertissime ostendunt, Tacitum vocabula *nationis* et *gentis* neutiquam hoc discrimine usurpare, ut *gens* significet universum quoddam plurium populorum ac civitatum corpus, *natio* singulas huiusmodi corporis partes, ut natio sit gentis pars. Iam quis sibi persuadebit, Tacitum hoc solo cap. 2. loco illud discrimen observavisse, quod per omnem reliquam libelli partem non observasse liquido constat? Neque in horum vocabulorum originatione inest, quod talem differentiam certo monstret. Atque ut aliquot locis *gens* continet *nationem*, contrarium certe est in loco Ciceronis de Divinat. I, 1. *qua in natione Chaldaei non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati;* ubi gens est pars nationis. Sed ponamus, in Taciti loco, quem tractamus, *nationem* esse *gentis* partem: quis est qui non videat, tum istam adiectionem *non gentis* non modo supervacaneam, sed absurdam adeo esse? Nam hoc tum Tacitus dicit: *ita nationis nomen, non gentis, evaluit paulatim, ut gentis nomen fieret.* Apta esset haec adiectio, si etiam illud vere diceretur, nomen Germanorum generale eo factum esse generale, quod eo nomine primum victor, mox Germani ipsi pro generali usi sint. Quod ut fieri potuerit,

tunc Germani vocati sint, ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paullatim, ut omnes pri-

necesse esset, non modo ut generale nomen pro generali prius usurpatum esset, quam a victore ipsisque Germanis hac vi usurparetur, sed etiam ut prius non pro tali usurparetur. Atqui hoc sibi repugnat. Hunc quidem scopulum vitarunt, qui Taciti verba admodum audacter sic mutarunt: *ita nationis in nomen gentis*, vel, *ita nationis nomen in gentis*. Mihi vero huic loco alia ratione videtur succurrendum esse. Nimirum vocabulo *germanus*, cuiuscunque est originis sive celticae sive teutonicae, et cuiuscunque potestatis, nemo Romanus, nisi si esset sermonis gallici vel teutonici peritus, aliam vim poterat assignare quam fecit Strabo VII, 1. §. 2. p. 290. (p. 320. Tzsch.) *διὸ δίκαιά μοι δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τοῦτο αὐτοῖς θέσθαι τοὔνομα, ὡς ἂν γνησίους Γαλάτας φράζειν βουλόμενοι· γνήσιοι γὰρ οἱ Γερμανοὶ κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον*. Hinc mihi persuasi, Tacitum ut Romanum veraeque vocabuli significationis ignarum scripsisse: *ita cognationis nomen, non gentis*. Hanc scripturam cum pro genuina habeo, non item hoc affirmo, Tungros primum, deinde paulatim omnes teutonicae originis gentes propter originis communionem dictas esse Germanos. Immo vox gallica vel teutonica, ex qua Germanorum nomen est corruptum, qualiscunque fuit, talis fuisse videtur, qua appellarentur Germani ut fortes hostibusque metuendi milites; cumque postea Romani intellexissent, omnes istos qui eiusdem originis essent, item fortitudine praestare et hostibus metum incutere, omnes eandem ob indolem et fortitudinem appellarunt Germanos. Hac ratione probata offensioni esse non possunt verba *a victore*, pro quibus nonnulli scripserant *a victis*; alii ea retulerunt ad Tungros, qui vicerant Gallos; at ita non est iusta verborum *a victore* et *a se ipsis* oppositio, quoniam etiam Tungri sunt Germanorum pars, quod animadvertit etiam *Selling*. in observatt. criticis in Taciti Germaniam (Augustae Vindel. 1830.) p. 6. Immo aptissime *a victore* de Romanis accipitur neque aliter potuit accipere Tacitus, ut qui *germanus* haberet pro voce mere latina; cui rationi non repugnat locutio *ob metum*, h. e. propterea quod eos metuebant. Nam viris fortibus turpe non est hostes fortes metuere, dummodo vincant; atque Germanos Romani quamquam nunquam plane devicerunt, vincebant tamen, ut Tacitus ait cap. 37. *tam diu Germania vincitur*. Sic Romani de Samnitibus ap. Liv. IX, 9. *modo ad hostem pervenire liceat, quem per annos iam prope triginta vincimus*. Quod autem quidam volunt verba *ob metum* significare *ad metum*

mum a victore ob metum, mox a se ipsis invento nomine [Germani] vocarentur.

inferendum, hoc falsissimum esse vel primum Annalium caput arguit. — De nomine Germanorum Moneius p. 9. censet, *German* esse appellationem gallicam neque posse e nostro sermone derivari. Teutones postquam Gallos expulissent se appellavisse *Tungros*, h. e. *Twingera*, *Zwinger*, *Sieger*. Wilhelmo p. 17. *Germani* sunt *Krieger*, *Wehrmänner*, *Kameraden*. Idem sentit Mannertus III. p. 5 sq. p. 142 sq. Reichardus p. 3. nomen derivat e Persico *Dsjermann* (Gastfreundschaft) et *Kerman*. Alios auctores citavit Hessius ad h. l. Inprimis conferenda sunt quae de hoc nomine disputavit Beckerus p. 28 sqq. De veteribus interpretibus lubet Boxhornii bonam animadversionem repetere: „Nomen Germanorum olim non totius gentis fuit, sed unius modo nationis, eius nempe, quae postea dicta est Tungrorum. Neque extiterat vocabulum inter Germanos, quo omnes in universum appellarentur. Notae tantum erant plures diversarum gentium appellationes, Marsi, Gambrivii, Suevi, Vandalii, Batavi, Chatti etc. At vero cum Tungri, soli olim Germani appellati, primi Rhenum transgressi Gallos expulissent et feliciter gestis rebus nominis sui terrorem ac celebritatem longe lateque auxissent, Galli atque aliae proximae nationes omnes transrhenanos istos populos *Germanorum* nomine insignivere. Hoc est illud quod dicit: *primo a victore ob metum Germanos omnes esse vocatos*. Alii exteri nimirum ut Galli a victore populo, tunc Germanorum, postea Tungrorum nomine insigni, omnibus Transrhenanis *Germanorum* vocabulum indidere. Transrhenani autem cum illud generale, quo omnes designarentur, nomen iam ab aliis, ut Gallis, esset inventum, haud gravatim ipsi quoque inter se illud admisere, quod neque inconveniens esset, unum aliquod extare, quod commune esset omnibus nomen, neque dedecorum, id nomen ab omnium fortissima celebratissimaque postea Tungrorum dicta gente mutuari. Hoc vult Tacitus, cum addit: *mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur*." — Lectionem *ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint*, quae est in codd. Bamb. Turic. Ed. Spirens., placuitque Pichenae, Lipsio, Passovio, aliis, retinuimus. Ad *Tungri* intellige *vocantur*. Ita cap. 36. *qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur*. cap. 41. *ut quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar*. — Tungri, a quibus oppidum Tongern prope Leodium situm nomen acceptum hodieque servat, post Taciti aetatem accensi sunt Germaniae secundae, iidemque olim gesserant nomen Aduaticorum, quorum

CAP. III. *Fuisse apud eos et Herculem* memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem *baritum* vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim
2 trepidantve, prout sonuit acies; nec tam voces illae,

crebra fit mentio apud Caesarem. Conf. Werseb. p. 306. 315. 319. *Evalescit nomen* est, in consuetudinem abit; recteque comparatur ἐκνικᾶν, quo utitur Thucydid. I, 3. *Nomen inventum* est, quod quacunque data occasione in consuetudinem venit. Non neglexit hunc Taciti locum Beierus ad Cic. off. III, 31. p. 399. Cic. N. D. II, 40. 104. *ut ex notarum figurarum similitudine nomina invenerint.* Denique vocabulum *Germani*, quod abest a cod. Bamb. ut supervacaneum et propemodum molestum cum Lünemanno uncis inclusi.

CAP. III. *Fuisse apud eos et Herculem — canunt*] Romani cum quicquid esset magnificum, ad Herculem referrent (c. 34.) neque ea iudicandi facilitate valerent, ut quae aliae gentes in rebus sacris et ad deos pertinentibus sua et propria haberent, agnoscerent fideliterque scripto redderent, non mirum est, quod Tacitus, cum celebrari apud Germanos comperisset domesticum heroem, cuius facta factis Herculis essent similia, hunc heroem eundem cum ipso Hercule esse statuit. Frustraque sunt, qui in herois germanici nomine litterarum sonique cum Herculis nomine similitudinem investigant, quod fecit Fulda (Meusels Geschichtsforscher p. 110.), qui opinionis a Romanis receptae occasionem dedisse arbitratur vocabulum celticum *herkl*, i. e. tapfer. Magis mihi ii viri docti probandi videntur, qui inter notos Germanorum heroas et deos talem pervestigant, qui quamquam dissonus appellatione, factis tamen cum Hercule congruat. Ita Moneius p. 9. *Thor* peregrinantem intelligi existimat. Add. notata ad cap. 9. ubi memorantur sacra Herculis. Annal. II, 12. est *silva Herculi sacra* in Germania. Ad *memorant* neque *Romani* neque *Germani* intelligendum est, sed *homines.* Priusquam proelium committant, Herculem canunt ante omnes alios viros fortes; in quo simul hoc inest, eum propterea primo loco cani, quod ceteris fortitudine praestet. Similiter canebatur Arminius. Annal. II, 88. Hist. II, 22. *Subeuntes cohortes Germanorum cantu truci et more patrio nudis corporibus, super humeros scuta quatientium.* qui tamen esse videtur baritus.

sunt illis haec quoque carmina — intumescat] Scriptura codd. et vett. edd. variat inter *baritum* et *barditum.* In edd.

quam virtutis concentus videntur. affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat.

recentioribus, etiam Bekker. *barritum*, ut ap. Ammian. Marcell. XVI, 12. p. 114. Bip. *barritum ciere vel maximum: qui clamor ipso fervore certaminum a tenui susurro exoriens paulatimque adolescens ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.* XXVI, 7. p. 89. *pro terrifico fremitu, quem barbari dicunt barritum.* XXXI, 7. p. 264. *et Romani quidem voce undique Martia concinentes a minore solita ad maiorem protolli, quam gentilitate appellant barritum.* Item ap. Vegetium III, 18. *clamor autem (quem barritum vocant) prius non debet attolli, quam acies utraque se iunxerit. imperitorum enim vel ignavorum est vociferari de longe, cum hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit.* — Nomen *baritus*, secunda syllaba correpta, ut recte derivatur a verbo *baren*, i. e. schreien, ita forma *barditus* ex eo errore videtur nata esse, quo Germanis Gallorum *bardi* a nonnullis sunt assignati, quod nuper etiam fecit G. C. Braun in Encyclopaedia Halensi s. v. *Barden.* De *bardis* Mannert. III. p. 410. citavit Diod. Sic. V, 31. Not. Val. ad Ammian. XV, 9. At vide Rühs. p. 142 sqq. et Koberstein in libro: Grundriss zur Gesch. d. deutsch. Nationallitter. §. 6. Adelung ält. Gesch. d. Deutschen, p. 385 sqq. *Baritum* Tacitus vocat carminum relatum, quod est *Vortrag, Anstimmung, Tönen,* non *Melodie.* Apud Tacitum igitur baritus coniunctus est cum carminibus, apud Ammianum autem Vegetiumque tantum clamorem et fremitum terrificum indicat. Pro indicativo *accendunt* Cicero haud dubie scripsisset *accendant.* Apud eundem *augurari* cum praepositione *ex* construitur; ut Verr. 2, 6. 18. *cum ex nomine istius, quid in provinciis facturus esset, perridicule homines augurabantur.* De Divin. I, 33. *Calchas ex passerum numero belli Troiani annos auguratus est.* Sic Graeci τεκμαίρεσθαι ἔκ τινος et τινί. Pugnae igitur eventum e cantus illius natura mentis praesagio colligunt. Conf. locos ab Hessio citatos Liv. IV, 37. Plut. Crass. cap. 27. — In interpungendis verbis *terrent enim trepidantve, prout sonuit acies* redii cum Bekkero ad eam rationem quae recepta erat ante Passovium, qui cum Rhenano post *sonuit* posuit comma. Sensus loci est: modo terribilem modo formidolosam vocem edunt, prout fuit aciei sonitus s. baritus laetus tristisve. Illam interpunctionem tutatur et res ipsa et locus Taciti Hist. IV, 18. *ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies, nequaquam par a*

3 *Ceterum et Ulixem quidam opinantur, longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum*
4 *nominatumque. aram quin etiam Ulixi consecratam adiecto Laertae patris nomine eodem loco olim re-*

legionibus cohortibusque redditus clamor. — Verba proxima in codd. sic sunt exarata, ut in textu a me sunt reddita. Rhenanus autem quem Bekkerus est secutus, ea in editione a. 1544. ita mutaverat: *nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videtur*. Utriusque scripturae sententiam Hartmannus in Obss. Part. I. p. 7 sq. recte sic constituit: *Germanos non tam modo solito cecinisse, quam omni cantus natura fortitudinem expressisse*. At in codd. Arund. et Bamb. pro nomine *virtutis* scriptum est *mentis*: quae scriptura mihi quidem adhuc iniuria neglecta esse videtur. Habet enim vox *virtutis* speciem interpretamenti profecti a librario, qui vim vocabuli *mentis* non omnem assecutus ad solam virtutem referret. Ubi vero virtus, cum trepidatur?. *mens* et in terrendo et in trepidando recte memoratur. — *Fractum murmur* est raucus fremitus interruptus neque continuatus. Conf. Virgil. Georg. IV, 72. ibique Voss.

ceterum et Ulixem quidam opinantur etc.] In his etiam Strabo III. p. 149. (ed. Tzsch. p. 399.) *καὶ ἡ τοῦ Ὀδυσσέως δὲ στρατιὰ δοκεῖ μοι δεῦρο γενηθεῖσα καὶ ἱστορηθεῖσα ὑπ' αὐτοῦ παραδοῦναι πρόφασιν. — Οὐ γὰρ μόνον οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν τόποι καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν τοιούτων σημεῖα ὑπογράφουσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ Ὀδύσσεια πόλις δείκνυται;* etc. Solin. Polyhist. cap. 22. *in quo recessu Ulixem Calidoniae appulsum manifestat ara Graecis litteris scripta votum.* cap. 23. *ibi* (in Lusitania) *oppidum Olisipone Ulixi conditum.* — Moneius p. 9. et Göttlingius de carm. Niebelung. p. 31. Ulixem suspicantur a Romanis confusum esse cum Othino. Haec suspicio si a vero non aberrat, *Asciburgium* est idem oppidum, quod *Asgard* ab Othino conditum. — At Taciti Asciburgium situm est in Rheni ripa occidentali meridiem versus a *Veteribus* (Santen), multique viri docti, in his Cellarius, Danvillius, Oberlinus, Diltheius, Wilhelmus p. 114., Reichhardus p. 256. intelligunt *Asburg* in principatu *Mörs*, alii *Essenberg*, vicum prope Asburg; Wersebius p 307. not. 447. *Orsoy*. — Ceterum Diltheius, secutus Rühsium p. 139 sq. eam rationem, qua hanc de itineribus ab Ulixe per Germaniae terras factis narrationem germanicis mythis superstructam esse

pertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc exstare. **quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.**

statuitur, plane improbat, immo graecos scriptores posteriori aevo talia finxisse. Quod contra Moneius, qui, ut modo dictum, in Ulixe deprehendit Odinum, et in iis quae de Ulixis monumentis narrantur, loca agnoscit, ubi Celtae sacra fecerint, quoniam cum Celtae ante Tungrorum irruptionem secundum Rhenum inferiorem incoluerint, tum graecae litterae in monumentis inter Germaniam et Rhaetiam repertae de graecis Helvetiorum litteris apud Caesarem (B. G. I, 29.) admoneant, quae ut proxime ad runarum Germanicarum similitudinem accedentes imperitis a graecis litteris in lapidibus insculptis non diversae esse videantur. Cum *errore fabuloso*, i. e. quem poetae multis fabulis exornarunt., a Beckero apte comparatur Horatii (Od. I, 27. 8.) *fabulosus Hydaspes.* — De forma *hodieque* Frotscherus ad Quintil. X. p. 84. laudat Gronov. ad Liv. I, 26. 13. Drakenborch. ad Liv. V, 27. 1. *Hodie*, quod est in Ms. Turic. edd. Spir. Puteol. Rhag. Rhen. min. retinuit Passovius. — Post *nominatumque* in edd. Spir. Kath. Put. Passov. Hess. est signum lacunae, non est in cod. Turic. multisque edd. In cod. Arund. adiicitur corruptum vocab. *ἀστυτεάγιον*, quod Rhenanus mutavit in *ἀστυπύργιον*, Lipsius in *ἀσκιπύργιον*. In edd. Nor. et Rhen. 1519. *Acriniprion*, idem graecis quidem litteris scriptum habet Alc. Cod. Venet. quem Pertzius inspexit (vid. eius iter italic. p. 45.) loco lacunae habet *'Ασκίπυρπον*. Grotefendus suspicatur genuinam scripturam esse *prius 'Ακρισιπύργιον*. — *Ulixi consecrata ara* esse potest ara ab Ulixe consecrata, ut accipiunt Perizonius ad Sanct. Min. III, 4. p. 543 sq. Ernestius, Passovius, Hessius, U. I. H. Becker; aut in Ulixis honorem et memoriam exstructa, quam ego cum Longolio et Diltheio interpretationem praefero tum propter verba praegressa *ab illo constitutum*; solet enim Tacitus facile structuram mutare, nec tamen ita, ut orationis ambiguitas et obscuritas existat; tum quod ista interpretatione probata hoc incommodum manet, quod non est additum, cui ara ab Ulixe fuerit consecrata. Ipsi potuit esse consecrata ut urbis conditori. De vi vocab. *ara* conf. Waltherus ad Annal. XIV, 31. — De verbis *monumentaque et tumulos* Pichena in edit. 1607. ita disserit: „ne forte iuniores credant, synonyma haec esse, sciant, sepulcra antiquorum in tumuli, h. e. in monticuli for-

CAP. IV. **Ipse eorum opinionibus accedo, qui *Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui si-***

mam facta fuisse: unde sepulcrum ipsum appellabatur *tumulus*, qui deinde circumdabatur sepimento quodam aut cespite aut lapide aut marmore pro cuiusque fortuna, idque *monumentum* dictum." C. L. Roth in Taciti Synonymis p. 47. statuit *et tumulos* adiectum esse ἐξηγητικῶς, *Denkmäler, nämlich Grabhügel.* Beckerus p. 35. hendiadyn agnoscit; Passovius p. 82. de usu particularum *que et* monuit, plerumque encliticam tota enuntiationis membra coniungere, alteram autem copulam duo vocabula arctius inter se quam cum praecedentibus connectenda. — *Monumentum* ut documentum, nocumentum, emolumentum. Vid. Cellarii orthogr. T. I. p. 291. Add. Grotefendi gram. lat. T. II. p. 188. — *Graecas litteras* de *runis* accipiunt Fr. Schlegelius (Vorlesung. Vol. I. p. 222.), W. C. Grimmius (de runis germanicis. Gotting. 1821. p. 38.), Moneius (Tom. II. p. 10.), Rühsius (p. 180 sq.) Contra Dahlmannus (hist. Forschungen. Vol. I. p. 172.) negat Caesaris Tacitique temporibus runas Germanis cognitas fuisse, cum runici codices ante annum 1200 exarati non reperiantur. De runis cogitandum esse negavit item Beckerus p. 36. Apud Caesarem B. G. I, 29. refertur in castris Helvetiorum tabulas repertas esse litteris Graecis confectas; et lib. VI, 14. Gallos in publicis privatisque rationibus Graecis uti litteris. Quem graecarum litterarum usum Gallos, qui antea nullum haberent litterarum usum, cum vita cultiori accepisse a Phocaeensibus, qui Massiliam coloniam deduxerunt, (Strab. IV. 1. §. 4. p. 179. Iustin. 43, 4.) Bredovius statuit, idemque sentit Diltheius. *Confinium Germaniae Raetiaeque* Beckerus recte intelligit *agros decumates*, de quibus c. 28. — Ad ultima verba apte comparatur Livius in praefatione: *ea nec affirmare nec refellere in animo est.* Idem V, 21. *haec ad ostentationem scenae gaudentis miraculis aptiora, quam ad fidem, neque affirmare neque refellere operae pretium est.* Ernestius apud Tacitum probat *adfirmare*, quod praebet scriptus olim Bil. Pircheimeri codex, itemque suspectum habet *argumentis* ob Taciti studium brevitatis. Brevior certe Taciti est oratio quam Ciceronis, apud quem est de Orat. II, 19. 80. *nostra confirmare argumentis ac rationibus.* — Locutione *demere fidem* Tacitus utitur etiam Hist. II, 50.

CAP. IV. *Ipse eorum opinionibus accedo — arbitrantur*] Verba *aliarum nationum* uberiorem continent adiectivi *aliis* explicationem, adiectam illam ad vim totius enuntiationis augendam

milem gentem exstitisse arbitrantur. unde habitus quo- 2
que corporum, quamquam in tanto hominum numero,
idem: omnibus truces et caerulei oculi, rutilae comae,
magna corpora et tantum ad impetum valida. laboris at-

acuendamque. Similis orationis ubertas est apud Platon. Phaedr. c. 63. p. 55. Ast. ἐν ἄλλαισιν ἄλλων ψυχαῖς; et in usu nominis *omnis* ap. Ciceron. N. D. I, 18. 46. *a natura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam nisi humanam deorum.* Quae alia exempla allata sunt ad usum quendam adiectivi *alius* pleonasticum asserendum, ea omnia sunt ex alio genere neque huc pertinent. Porro *infici* atque *imbui* dicuntur res, quas aliud quid ita permeat ac penetrat, ut quasi pars naturae primitivae fiat, ut *inficere colore, sanguine, veneno, animum virtutibus.* Interdum res, qua quid inficitur, non additur et verbum ponitur absolute, ut hoc loco, ubi *infecti* sunt quasi alieno colore tincti ideoque corrupti, qui alienam naturam induerunt. Cicero N. D. I, 30. 83. *ab animis consuetudine imbutis.* — De verbis *propriam et sinceram et tantum sui similem* ita Fr. Gronovius: „Tria quae ponit hic Tacitus, nihil aliud sunt, quam idem alio modo, maioris affirmationis et ἐμφάσεως χάριν. Ita et *proprius,* suus, οἰκεῖος, cum pluribus non communis eoque impermixtus, *sincerus et tantum sui similis.*“ At voce *propriam* facile hic quidem caremus aptissimeque verba *nullis aliis connubiis infectos* ut proximus effectus sequitur vox *sincera,* h. e. pura, incorrupta. Quamobrem vehementer probo quod in cod. Arundel. pro *propriam* legitur *propterea.* Ita existit orationis conformatio similis illi, quae est cap. 2. extr., si post *vocati sint* non plene, sed commate interpungitur. Item ex *propterea* videtur corruptum esse *perpetuam,* quod est in cod. Bamb. placebatque Conringio et Colero. Ceterum h. l. Tacitus vix de eo cogitavit, Germanos non esse cognatos Gallis sive Celtis. Perperam autem Arndtius p. 20. verba *tantum sui similem* refert ad morum institutorumque convenientiam, quae ad solam physicam naturam spectant. Atque ex illa natura incorrupta etiam externus corporum habitus idem omnibus exstitit. — Postquam Rhenanus ita locum distinxisset ut coniungeret *idem omnibus,* quae ratio satis speciosa multos fautores invenit, nuperrime Sellingium, Bekkerum, Passovius primus veterem distinctionem, meliorem sane certioremque revocavit. Verbo *omnibus* vis verborum *quamquam in tanto hominum numero* resumitur, omnisque deinceps locus singula enumerat, quibus externus corporum habitus constat. *Habitus corporum* signi-

que operum non eadem patientia; minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo solove assueverunt.

CAP. V. Terra etsi aliquanto specie differt, in uni-

ficat externam eorum speciem, ut cap. 46. *in Sarmatarum habitum.* — Adiectivum *trux*, cuius origo est incerta, praecipue tribuitur oculis et adspectui. Vide locos congestos a Doederlein. in Synonym. Tom. I. p. 40 sq. Propter *oculos caeruleos* Germani vocantur ab Horatio Epod. XVI, 7. *caerulea pubes.* Iuvenal. XIII, 164 sqq. *Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem et madido torquentem cornua cirro? Nempe quod haec illis natura est omnibus una.* De Cimbris Plutarch. Mar. cap. XI. *Καὶ μάλιστα μὲν εἰκάζοντο Γερμανικὰ γένη τῶν καθηκόντων ἐπὶ τὸν βόρειον ὠκεανὸν εἶναι τοῖς μεγέθεσι τῶν σωμάτων καὶ τῇ χαροπότητι τῶν ὀμμάτων.* Cuius coloris caussam declarat Aristotel. Probl. sect. 14. p. 432. Cas. *τῶν πρὸς ἄρκτον οἰκούντων γλαυκὰ ὄμματά ἐστι τῷ τὸ θερμὸν κωλύεσθαι διεκπίπτειν διὰ τὸ ἐκτὸς ψυχρόν.* Epitheta, quibus Germanorum comae designantur, Diltheius haec collegit: *albicans*, *flavus* (ξανθός), *fulvus*, *rufus*, *rutilus* (πυῤῥός). Salmasius ad cap. 38. (conf. Plin. Exercitatt. p. 223 sq.) haec habet: „Vocarunt veteres Latini *nitelam*, quam Graeci σκίουρον καὶ ἐλειὸν μῦν. Glossae: *Nitela*, δενδροβάτης. Servius I Georg. 181. *Nitela*, *mus agrestis rubens*, *cuius Cicero meminit in Sestiana.* Verba Ciceronis: *illa ex vepreculis extracta nitela.* [In Sestiana cap. 33. nunc scribitur *nitedula*, de quo nomine conf. Schütz. in Ind. Cic. *Kiesl.*] De ea accipiendum in Martialis versu (V, 38.) *aureamque nitelam.* Rutilos ac rufos puellae crines comparat Baetico velleri, Germanarum capillis et nitelae pilo.“ Add. Rühs. p. 148. — De corporum magnitudine conf. idem Rühs. p. 153 sqq. Annal. II, 14. *corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.* In codd. Arundel. et Bamb. locus ita scribitur: *corpora tantum impetu valida.* — Verba *labor atque opera* non ad solum bellum, sed ad omnia, ubi *labore* et *opera* opus, sunt referenda. — Infinitivus *tolerare* est pro verbo finito *tolerant*, ut cap. 7. *audiri* pro *auditur.* Conf. Bötticheri Lex. Tacit. p. 264. Accusativi autem *frigora* et *inediam* coniungendi sunt cum verbo *assueverunt*, quod similiter cum accusativo iungit Virgil. Aen. VI, 832. *ne tanta animis adsuescite bella.* Denique patet, *caelo* esse ad *frigora*, et *solo* ad *inediam* referendum.

CAP. V. *Terra etsi aliquanto — despicit*] F. A. Wolfius ad Sue-

versum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, humidior, qua Gallias, ventosior, qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax; frugiferarum arborum im-

ton. Caes. c. 10. p. 13. haec habet: „*Aliquantum* per se incertae potestatis est, sicut cognata vocabula: *aliquis*, *aliquamdiu*, *aliquot*, v. c. quum dicitur: *aliqua* inest difficultas, *aliquot anni*, etc. Hi possunt esse decem, possunt etiam esse 40, 60.“ Frustra Bredovius obloquitur Ernestio, qui *aliquanto* recte interpretatur *non parum*; revera enim terra specie multum differt, idque Tacitus ignorare non potuit. — De Germaniae silvis conf. Plin. XVI, 2. *Aliud e silvis miraculum: totam reliquam Germaniam replent adduntque frigori umbras: altissimae tamen haud procul supra dictis Chaucis, circa duos praecipue lacus. Litora ipsa obtinent quercus maxima aviditate nascendi, suffossaeque fluctibus aut propulsae flatibus vastas complexu radicum insulas secum auferunt: atque ita libratae stantes navigant ingentium ramorum armamentis, saepe territis classibus nostris, quum velut industria fluctibus agerentur in proras stantium noctu, inopesque remedii illae proelium navale adversus arbores inirent. In eadem septentrionali plaga Hercyniae silvae roborum vastitas intacta aevis et congenita mundo prope immortali sorte miracula excedit. Ut alia omittantur fide caritura, constat attolli colles occursantium inter se radicum repercussu, aut, ubi secuta tellus non sit, arcus ad ramos usque et ipsos inter se rixantes curvari portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant: glandiferi maxime generis omnes, quibus honos apud Romanos perpetuus.* Mela. III, 3. 3. *terra ipsa multis impedita fluminibus, multis montibus aspera et magna ex parte silvis ac paludibus invia. paludum Suesia, Estia et Melsiagum maximae.* Add. Wilhelm. p. 27 — 53. Reichard. p. 213 sqq. — Germaniae pars *ventosior* haud dubie est Palatinatus superior, Bohemia et Moravia; utque *humidior* refertur ad verba *paludibus foeda*, ita *ventosior* ad verba *silvis horrida*, suntque silvis plerumque tecti montes, qui ventis perflantur eoque etiam sunt sicci. In Agric. 10. terras montesque vocat caussam ac materiam tempestatum.

satis ferax — impatiens] Trossius in programmate edito Hammone 1828. p. 3. vocabulo *satis* denuo adverbii vim vindicare conatus est; infausto opinor successu. Si enim esset adverbium, agrorum proventum Tacitus nimis obscure et vage indicasset, cum *ferax* omnem omnino fertilitatem, non solam agrorum declaret. Neque illud Trossii opinioni favet, quod

patiens; pecorum fecunda, sed plerumque improcera.

aliis locis Tacitus utitur vocabulo *segetis*. Nam *sata* tamen est vocabulum aptissimum, quo alii scriptores saepissime utuntur, in his Virgilius, cuius ad similitudinem Tacitus non raro suam orationem conformavit. Adiectivum *ferax* cum ablativo struitur etiam his locis a Passovio citatis: Virg. Georg. II, 222. *ferax oleo*. Plin. Ep. IV, 15. 8. *ferax bonis artibus*. Non dissimilis est locus Tacit. Ann. XIII, 57. *flumen gignendo sale fecundum*. Idem Trossius pro *impatiens* scribit *patiens* propter hos locos: cap. 10. *virgam frugiferae arbori decisam*. cap. 23. *agrestia poma*. cap. 26. *ut pomaria conserant*. Haec coniectura quantumvis speciosa admittenda tamen non est, cum codicum auctoritate plane destituatur. Quodsi quaeritur, unde Tacito constiterit, Germaniae solum fuisse arborum frugiferarum impatiens, id cum neque experimentis a Germanis factis neque e Romanis cognoscere potuerit, haec scribens solam caeli Germaniae inclementiam pomorum culturae minus aptam quam caeli in Italia esset temperies, videtur respexisse. — *Cerasos* in Rheni ripis memorat Plinius H. N. XV, 25.

pecorum fecunda — opes sunt] „Terra nostra est *improcera* ob *improcera corpora* pecudum." F. A. Wolfius ad Annal. I, 10. p. 27. Ego vero assentior Diltheio et Günthero, hanc dictionem fere superare etiam poetarum usum affirmantibus: nam *improcerus* nulla prorsus ratione in notionem terrae cadit. Recte Diltheius *improcera* habet pro neutro pluralis, ad quod *sunt* intelligit. Neque est quod cum Lipsio pro *plerumque* scribamus *pleraque*. Nam ex usu neutrius *plerumque*, ut ap. Sallust. Iug. 21. *plerumque noctis*. Liv. XLV, 9. *per Europae plerumque*; adverbium *plerumque* non tantum valet *fere semper*, sed etiam *maximam partem*. Loci igitur sensus sive *plerumque* sive *pleraque* scribas non mutatur. — Caes. B. G. IV, 2. (iumenta) *quae sunt apud eos nata, prava* (al. *parva*) *atque deformia*. Plin. H. N. VIII, 70. *Plurimum lactis Alpinis, quibus minimum corporis*. Colum. VI, 24. *Melius in hos usus Altinae* (leg. *Alpinae*) *vaccae probantur, quas eius regionis incolae Cevas appellant: eae sunt humilis staturae, lactis abundantes*. — Recte Hartmannus Part. I. p. 11. pecora interpretatur omnis generis animalia domestica, non solas oves, hircos, capras, quae appellantur *pecudes*. Porro his verbis *ne armentis quidem* etc. ex universo pecorum numero unum eorum genus eximit idque singulatim describit. *Honor* significat quidem omnino id quod in aliqua re honestum et pulcrum habetur, ut in tauris possit esse non tantum nitor ex pinguetudine, sed etiam proceritas et omnis corporis pul-

ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis. numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitii an irati dii nega- 2 verint, dubito. nec tamen affirmaverim, nullam Germaniae venam argentam aurumve gignere: quis enim scrutatus est? possessione et usu haud perinde affi-

critudo; magis tamen refertur ad externum splendorem quendam et ornatum, ut apud Virg. Aen. 7, 815. *regius honos*, i. e. ornatus. Horat. Od. II, 11. 9. *non semper idem floribus est honor vernis.* Sat. II, 2, 28. (pavoni) *cocto num adest honor idem?* Adde locos ab Hessio et Longolio citatos. Itaque recte Rothius in synon. p. 48. cum Pichena verba *suus honor* de solis cornibus accipit, et haec addit: „quemadmodum synonyma particula disiunctiva coniungi licet, ita in appositione inter rem eam, quae explanatur, et eam, quae explanat, eadem particula praevia negatione poni potest. Voces aut gloria frontis rem antea dictam clariorem reddunt, ut de proprie armenti honore dubitari non possit." Hartmannus contra loci sententiam ita constituit: Germania abundat pecoribus, sed maximam partem improceris, ita ut ne boves quidem corporis proceritate et dignitate, atque cornuum magnitudine praestent. — Verba *numero gaudent* hanc vim habent: *multitudine armentorum delectantur.* Nam *numerus* est *multitudo*, ut hoc cap. extr. *numerus argenteorum.*

argentum — dubito] Plin. H. N. XXXIV, 2. *ferunt nuper etiam in Germania provincia repertum* (aes). Tacitus Annal. XI, 20. scribit Curtium Rufum equitem Romanum sub Claudio (a. Chr. 47.) in Germania in agro Mattiaco (Wiesbaden) reclusisse specus quaerendis venis argenti. Qua de re laudat Wersebius p. 53. Wenkii Hess. Landesgesch. Bd. 2. p. 90. et Schmidtii Gesch. d. Grossherzogth. Hessen. Bd. I. p. 17. 19. not. b. Diltheius citat Reuschii origines metallifodinarum in Germania. Helmst. 1725. et Gmelini Beyträge zur Gesch. des teutsch. Bergbaues. 1783. Add. Rühs. p. 182 sqq. — In edd. Nor. Vienn. scriptum est *propitii ne*, quod Passovio minus exquisite, Günthero male dictum videtur. Ita vero est; nam particula *ne* primario enunciationis prioris verbo non additur, quando ambo membra pari vi efferuntur; id quod in hunc locum cadit. Conf. Ramshorn. gram. lat. p. 714 sq.

possessione et usu haud proinde afficiuntur] Scriptura fluctuat inter *proinde* et *perinde*, ut in omnibus fere locis, ubi haec vox exstat. Conf. Walther. ad Annal. III, 17. p. 230. Hessius in comment. I. p. 10. censet *perinde* et *proinde* ab opti-

mis quibusque scriptoribus ubique nullo discrimine usurpari; *proinde* antecedente *haud* — *non* rarius reperiri, *proinde* si adverbium exhortandi sit, nunquam permutari cum voc. *perinde*, et in lectionibus recipiendis a codd. auctoritate esse standum. Frid. Iacobus in Iahnii annalib. phil. et paedag. 1828. Vol. 7. fasc. 2. p. 187. de horum verborum discrimine ita disputat: *perinde* ist ein Vergleich von wo aus *durch* oder *über* einen grössern oder kleinern Raum hin sich ausbreitend; *proinde* der Vergleich zwischen Ursach und entsprechender oder nicht entsprechender Folge.' Hinc Taciti locum ita intelligit: *non pro auri pretio.* Ab hac ratione non multum recedit Orellius, qui locum interpretatur ex usu loquendi aliquoties apud Suetonium obtinente, ut Tib. 52. *itaque ne mortuo quidem perinde affectus est.* Galb. 13. *quare adventus eius non perinde gratus fuit.* Et ap. ipsum Tacit. c. 34. *gentes haud perinde memoratae.* Non *proinde* s. *perinde* afficiuntur Germani ac deberent, ac consentaneum esset; argentea vasa muneri accepta domum quidem reportant, sed nec magni faciunt eorum possessionem neque usu illa distinguunt a fictilibus. Hanc rationem probavit etiam Hessius, qui insuper hos addidit locos: Hist. II, 84. *ipso Vespasiano inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante.* IV, 62. *quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis.* Liv. IV, 37. *haud vana attulere: sed nec perinde patres moti sunt.* Quibus in locis Bötticherus in Lex. Tacit. p. 353. hanc vim agnoscit, ut formula *haud perinde* idem fere valeat quod *haud ita valde, haud magnopere*, nicht eben, nicht sonderlich. Thierschius in Act. Monac. T. III. fasc. 3. p. 466. comparat Graecorum formulam οὐχ οὕτως, οὐ τόσον, cum qua item convenit formula *non tam*, qua utitur Cicero de fin. I, 1. init. quam rationem ego quoque amplector. Nec tamen silentio est praetermittendum, Fr. Gronovium, quem etiam alii sunt secuti, post *haud perinde* haec subaudienda esse censere, *ac nos Romani et omnes fere aliae nationes.* Cui opponit Hartmannus com. I. p. 13. nullam comparationem Germanorum veterum cum Romanis aliisque nationibus institui; item vitiosissimam esse eiusmodi ellipsin; nam cum quaedam subaudiri velimus, omnem orationem sic procedere debere, ut facile ea subaudiri possint; quod de hoc loco dici non posse. At cum vocabulum *perinde* habeat vim comparandi, potest sane non inepte comparatio referri ad Romanos, quoniam Tacitus per totum libellum eos qui legant, ad Romanorum et Germanorum dissimilitudinem apertius obscuriusve advertit. Hartmannus autem ipse locum sic interpretatur: *Germani possessione et usu nobilium mettallorum non omnes eodem modo afficiuntur*, i. e. Germani a Rheno remotiores minus, flu-

ciantur. est videre apud illos argentea vasa, legatis 3
et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur, quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. pecuniam 4
probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla

vio autem illi propiores maius illis pretium statuunt. Huic sane explicationi ea quae sequuntur, non adversantur. Ceterum non omnino vera esse, quae hic Tacitus dixit, ostendunt loci e Caesare (B. G. VI, 2. 28.), Tacito (Hist. IV, 76.) et Floro (IV, 12.) a Diltheio citati. Add. Becker. p. 43 sq.

est videre apud illos — utuntur] Ita Agric. 32. *est ulcisci.* De hoc usu verbi *est* pro *licet*, ut graeci verbi ἔστι pro ἔξεστι, conf. Ruddiman. II. p. 227. ibique Stallb. Perizon. ad Aelian. V. H. IX, 7. Hess. ad h. l. et Böttich. Lex. Tacit. p. 61. — *Proximi* sunt, qui Rhenum et Danubium accolunt (conf. c. 17. 23. 41.), quibus Romanorum consuetudo plus humanitatis conciliaverat. — *In pretio habent*, i. e. pretium iis attribuunt, pretiosa habent. Apud Horat. A. P. 372. *in pretio esse.* — Pecuniae *formae*, quas *agnoscunt*, h. e. probant, sunt nota (Gepräge) omnisque eius proprietas. Longolius citavit Quintil. I, 6, 3. *numo cui publica forma.* Sen. de benef. V, 29. *denarius — formae publicae.* — De *permutatione mercium*, qua utuntur *interiores*, h. e. qui remotius a Rheno in regionibus mediterraneis habitant, et qui cap. 17. *ulteriores* vocantur, conf. cap. 17. Caes. B. G. IV, 2. de Suevis. Plin. H. N. XXXIII, 3. 1. Solin. cap. 22. — *Serratos* iam Lipsius recte censuit eos numos dictos esse, quorum ambitus dentatus inque serrae modum asper esset. Fuerunt denarii, e numero numorum familiarum. Conf. Eckhel. doctr. num. vett. I, 4. V, 19. 94. quem citat Rühs. p. 195. *Bigati* dicti a bigae nota impressa, itemque denarii. Plin. H. N. XXXIII, 13. *nota argenti fuere bigae atque quadrigae: et inde bigati quadrigatique dicti.*

argentum quoque — mercantibus] Particula *quoque* quae in edit. Norimb. non recte omittitur, ad totum enuntiatum pertinet, ut Agric. 17. *sustinuit quoque molem Iulius Frontinus.* Argentum *sequuntur* est, expetunt. Eadem huius verbi vis obtinet Virg. Ecl. II, 62—65. quem locum Güntherus,

affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

CAP. VI. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur. hastas, vel ipsorum vocabulo *frameas*, gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit,
2 **vel cominus vel eminus pugnent. et eques quidem**

alios Hessius citant. — *Animi affectio*, διάθεσις ψυχῆς, est cupiditas, quae in consuetudinem abiit. Vid. Goerenz. ad Cic. Fin. III, 20. 65. — Denique in Lips. edit. est *faciliori*, non constat unde haec scriptura sit profecta.

CAP. VI. *Ne ferrum quidem superest — pugnent*] *Superesse* h. l. est abunde suppetere, ut c. 26. Hist. I, 51. 83. Add. Böttich. Lex. Tac. sub h. v. De Germanis Germanicus Annal. II, 14. *non loricam Germano, non galeam, ne scuta quidem ferro nervove firmata.* De Germanicis populis accipit Colerus locum Plinii H. N. XI, 45. 37. *urorum cornibus barbari septemtrionales potant; urnisque bina capitis unius cornua implent: alii praefixa hastilia cuspidant.* — Gothinos Tacitus cap. 43. narrat ferrum effodisse. Quam mature homines ferrum tractare didicerint, docet Rühs. p. 199 sq. idemque p. 206. affirmat vocabulum *lanceae* esse gallicae originis et per Romanos ad Germanos pervenisse. Add. Gell. XV, 30. — De *framea* Isidor. Origg. XVIII, 6. *framea, gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo spatham vocant. ipsa est et rhomphaea.* Haec Isidori non congruunt cum descriptione Taciti, cui framea est hasta (conf. c. 14. 18. 24.), qua cum scuto iuvenes in concilio ornantur, et quas Germani congregati, ubi placuit sententia, concutiunt (cap. 11.). Nomen *frame*, pro quo interpretes usurpant *pfrieme*, derivant a *ramen*, i. e. treffen, zielen. Conf. Rühs. p. 207. *Ratio*, die Umstände, in so fern sie erwogen worden.

et eques quidem — galea.] *Missilia*, i. e. saxa, globulos, aliaque, ineuntes proelium in hostes coniiciebant. Hist. V, 17. *saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur.* Dictio est Virgiliana. Ita Aen. XII, 50. *et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra spargimus.* In edd. Nor. Rhen. Longol. non male scribitur *pluraque*. Vocabulum *nudi* est referendum ad superiores corporis partes, collum, cerviceem, humeros, pectus. Conf. c. 17. 20. 24. Caes. B. G. VI, 21. *pellibus aut parvis rhenonum tegimentis utuntur, magna cor-*

scuto frameaque contentus est; pedites et missilia spargunt, plura singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. nulla cultus iactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt: paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non 3
velocitate conspicui, sed nec variare gyros in morem

poris parte nuda. Sen. de ira I, 11. de Germanis: *quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt, non suffugia adversus perpetuum caeli vigorem.* Mela III, 3.2. *nudi agunt, antequam puberes sint; et longissima apud eos pueritia est. viri sagis velantur aut libris arborum quamvis saeva hieme.* Alios locos citat Hessius. Fuit *sagum* s. *sagulum*, vox Celtica, ut putatur, et cognata voc. *saccus* (conf. Vossii Etym. L. L. p. 443.) ex lana confectum, quadrum, densum, villosum exteriore sui parte, communiter Celtis usitatum (Polyb. II, 28.) et Celtiberis (Diod. Sic. V, 33.). Vid. Kirchmaier ad cap. 17. *Sagulo leves* sunt sagulo levi induti, quo et ipsi leves. Conf. Rühs. p. 212. *Cultus* complectitur omnia quae studio et arte eis quae natura instituit, adduntur. Subtilissime de hoc vocab. disserit Garvius in Animadverss. ad Cicer. de offic. lib. I. p. 35. Add. Rühs. p. 213 sqq. — Isidor. Origg. XVIII, 14. *cassis de lamina est, galea de corio.* Hanc differentiam non ubique valere, affirmat Rühs. p. 220.

equi non forma — posterior sit] Conf. cap. 5. Caes. B. G. IV, 2. Virg. Georg. III, 191 sqq.

At tribus exactis ubi quarta accesserit aestas,
Carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum.

Ad quem locum conf. Voss. p. 573. Add. Beier. ad Cic. off. I, 26. p. 204. Taciti locum primus, quod equidem sciam, recte interpretatus est U. I. H. Becker p. 45. „die Germanen machten mit ihrer ganzen Reiterlinie die Schwenkung auf einmal und hierbey zeigten sie ihre Reitkunst in vollem Glanze, indem sie ungeachtet der Länge ihrer Linien und der Kleinheit ihrer Pferde dennoch die Schwenkung so auszuführen wussten, dass die Linie, welche als Radius den Bogen beschrieb, sich niemals krümmte, sondern immer eine vollkommen grade Linie blieb.“ Ex hac interpretatione etiam comparativus *posterior* sua vi, neque pro superlativo est positus. Nimirum verba *ut nemo posterior sit* pertinent ad singulos uno ordine equitantes seque ita flectentes, ut nullus posterior sit eo iuxta quem equitat.

nostrum docentur. in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum aestimanti plus penes peditem roboris: eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iu-

in universum aestimanti — locarit] Hic dativus participii absolutus hanc vim habet: *si in universum aestimes.* Ita Agric. 11. *in universum tamen aestimanti Gallos vicinum solum occupasse credibile est.* Eodem modo expediendus est locus multum disputatus Horatii Sat. I, 1. 49 sq. *vel dic quid referat intra naturae fines viventi, iugera centum an mille aret?* Ad quem conf. Kirchner p. 177 sq. Graecis scriptoribus haec dicendi ratio multo est usitatior quam latinis; locisque ab aliis collectis addimus hosce: Platon. Phaedr. p. 272. a. Steph. (c. 56. p. 49. Ast.) ταῦτα δὲ ἤδη πάντα ἔχοντι, προσλαβόντι καιροὺς τοῦ πότε λεκτέον καὶ ἐπισχετέον, βραχυλογίας τε αὖ καὶ ἐλεεινολογίας καὶ δεινώσεως ἑκάστων τε, ὅσ' ἂν εἴδη μάθῃ λόγων, τούτων τὴν εὐκαιρίαν τε καὶ ἀκαιρίαν διαγνόντι, καλῶς τε καὶ τελέως ἐστὶν ἡ τέχνη ἀπειργασμένη, πρότερον δ' οὔ. Phaedon. p. 59. A. ὡς εἰκὸς ἂν δόξειεν εἶναι παρόντι πένθει. Thuc. I, 10. extr. πρὸς τὰς μεγίστας γοῦν καὶ ἐλαχίστας ναῦς τὸ μέσον σκοποῦντι, οὐ πολλοὶ φαίνονται ξυνελθόντες. Et numero plurali, Thuc. I, 13. ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων σκοποῦσι. cap. 73. ἀεὶ προβαλλομένοις. Denique ad idem dicendi genus retulerim locutionem ὡς συνελόντι εἰπεῖν, in qua aut nihil est supplendum (nam συναιρεῖν est *in breve contrahere*), aut λόγον, non λόγῳ. — De Chattis cap. 30. *omne robur in pedite.* De Britannis Agric. 12. — De modo proeliandi Caesar B. G. I, 48. (Ariovistus) *equestri proelio quotidie contendit. genus hoc erat pugnae, quo se Germani exercuerant. equitum milia erant sex; totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi; quos ex omni copia singuli singulos suae salutis caussa delegerant. cum his in proeliis versabantur, ad hos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant: si qui graviore vulnere accepto equo deciderat, circumsistebant: si quo erat longius prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut iubis equorum sublevati cursum adaequarent.* Item consueverant equites, sicubi res poscebat, desilire et pedites pugnare. Vid. Caes. B. G. IV, 12. Eundem morem in bello civili Caesar imitatus est, quem vide de B. Civ. III, 84. Qui simul equites peditesque pugnarent, graece appellantur πεζοὶ ἅμιπποι. Vid. interpret. ad Xenoph. Hellen. VII, 5. 23.

Was ist ante aciem? Ist nicht der vorher gesagte peditum = eorum peditum? kann ante aciem heissen: vorn in der Schlachtreihe?

ventute delectos ante aciem locant. definitur et numerus: *centeni* ex singulis pagis sunt; idque ipsum inter suos vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. scutum reliquisse praecipuum fla- 4 5

centeni — honor est] Haec num vere Tacitus tradiderit, non constat. Illud quidem certum est, usitatissimas apud Germanos fuisse divisiones factas in centurias et decurias. Conf. Caes. B. G. I, 37. IV, 1. Beckero probabile videtur, Tacitum hic institutum civile (de quo cap. 12.) cum instituto militari confudisse. *Id ipsum vocantur*, h. e. centeni vocantur. Sic graece *καλεῖσθαί τι*. Conf. Schaef. ad Long. Past. p. 369.

acies per cuneos — arbitrantur] *Cuneus dicitur multitudo peditum quae iuncta acie primo angustior, deinde latior procedit et adversariorum ordines rumpit, quia a pluribus in unum locum tela mittuntur. quam rem milites nominant caput porcinum.* Veget. III, 19. ad quem locum Stewechius p. 205. citat locum Isidori Etymolog. IX, 3. — Tac. Hist. IV, 16. *Batavos propriis cuneis componit.* V, 16. *Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis astitit.* Huiusmodi aciem Graeci vocant ἔμβολον. Vid. Xenoph. Hellen. VII, 5. 22. Add. Rühs. p. 226. — In verbis *consilii quam formidinis arbitrantur* supplent *potius*. Grammaticos qui de hoc dicendi genere exposuerunt, citat Hessius in sua editione ad hunc locum et in Comment. I. p. 11 sq. Fischerus de hac re disputat in Animadv. ad Welleri gram. Spec. III. P. I. p. 325 sq. P. II. p. 86. Mihi vero nulla hoc loco ellipsis esse videtur, sed *arbitrari* hanc vim habere, ut sit *potius putare*. De omni autem hoc dicendi genere iam sic sentio, ut putem declarari hoc particulae *quam* usu non comparationem plurium rerum, ex qua certum quoddam praedicatum de una re plus minusve quam de altera valeat, sed optionem sive electionem, ex qua de una sola re ex duabus pluribusve rebus aliquid valeat, de ceteris non valeat.

scutum reliquisse — finierunt] Ammian. Marc. XXV, 3. p. 40. Bip. *Epaminondas ille dux inclitus, letaliter apud Mantineam saucius et revectus ex acie conquirebat sollicite scutum: quod cum vidisset propius, laetior vi vulneris interiit: et qui animam intrepidus amittebat, iacturam clypei formidavit.* Add. Cic. de fin. II, 30. 97. — *Ignominiosus*, quod alias activa significatione est *ignominiam afferens*, h. l.

gitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

CAP. VII. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. nec regibus infinita aut libera potestas;

est *ignominia ob ignaviam notatus.* De gravioribus ignominiosorum poenis conf. cap. 12. Gallis quid in hoc genere fuerit receptum, tradit Caes. B. G. VI, 13. — In proximis vel ob verborum collocationem iungendum est *bellorum infamiam*, cui opponitur *bellorum decus:* cap. 11. 32.

CAP. VII. *reges — praesunt*] Tacitus distinguit reges, principes et duces. *Regibus* paruerunt gentes meridionales et orientales, item Scandinavii; aliae gentes, ut Chatti, omninoque populi accolentes Rhenum et oceanum septemtrionalem impatientes regum ut quorum potestas licet non plane libera, astrictior tamen esset, habuerunt *principes*, quorum tamen nomen dubiae est significationis. Vid. Becker ad h. l. et Grimmii deutsche Rechtsalterthümer. p. 229. 231. *Duces* sunt, quod nomen declarat, viri fortes, fama florentes qui sibi adiungebant iuvenum manum, cui in bella praeirent. Verum item reges fere fuerunt summi belli duces, et ceteri duces ex virtute in concilio capti catervas minores ducebant. Reges, in quibus creandis generis nobilitatem sequebantur, ut in ducibus virtutem, in vitae tempus atque e certis familiis eligebant. Ita *Italicus*, ex Arminii familia, a Cheruscis Roma rex petitus est. Vid. Tacit. Annal. XI, 16. *Marcomannis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus.* — Et reges et duces, postquam electi erant, scuto impositi humeris gestatorum librabantur. Sic Brinno apud Canninefates. Conf. Hist. IV, 15. Add. Rühs. p. 239 sqq. — Praepositio *ex* significat i. q. secundum, zu Folge, nach Massgabe, ut cap. 9. *ex magnitudine caelestium.* — Scriptura loci, in quo solus Turic. praebet *ac* pro *aut*, non est sollicitanda. Conf. Drakenb. ad Liv. 21, 53. quem citat Rothius in Taciti synonymis, p. 13. Potestas *infinita* est nullis finibus circumscripta, *libera* ex solo arbitrio pendens, haecque synonyma ita inter se differunt, ut *infinitus* habeat vim obiectivam, *liber* subiectivam. — Ambiorix, Eburonum rex, de sua potestate ita praedicat apud Caesar. B. G. V, 27. *sua esse eiusmodi imperia, ut non minus haberet iuris in se multitudo, quam ipse in multitudinem.* De omni potestate regia vid. Rühs. p. 246. Grimmii deut. Rechtsalt. p. 243. — In proximis retinuimus cum Passovio aliisque

et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. ceterum neque animadvertere neque vincire, nec 2

interpunctionem a Bredovio constitutam. Ernestius enim, ante quem post *conspicui* colon erat positum, post *imperio* colo interpunxerat. Omnis locus ita est intelligendus: duces praesunt potius exemplo, quod praebent, quam imperio. Quod non multum differt ab hoc: exemplo praesunt, non imperio. Tum scriptor addit, quomodo praesint exemplo, nimirum, *si prompti, si conspicui, si ante aciem agant.* Deinde adiicitur, quam tale exemplum in animis intuentium habeat vim; nimirum ea est admiratio. Hac denique sui admiratione praesunt. Similis fere orationis conformatio ac vigor est cap. 13. in his verbis: *ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat.* Nomen *admirationis* passive accipitur. Vid. Beier. ad Cic. off. II, 10. §. 37. p. 71 sq.

ceterum neque animadvertere — ferunt] Verbum *animadvertendi* h. l. non habet vim obiurgandi, quae est Monei opinio p. 14., sed supplicio afficiendi, ut Hist. I, 46. 68. De Germanis Caesar B. G. VI, 23. *cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur.* Ad quem locum Morus: „supplicia vero, a magistratu decreta sacerdotes manu sua a condemnatis sumpserunt, id quod tum nullam contumeliae opinionem habuit.“ Quae hic a Tacito traduntur, de belli tempore esse accipienda, declarant adiecta verba, *velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.* Item apertum est, Tacito haec scribenti severissimam Romanorum disciplinam militarem obversatam esse, quod monuerunt Diltheius ad h. l. et Rühs. p. 245. Conf. etiam Grimmii antiqq. germ. iur. p. 270. 751. — Scripturam omnium codd. *nec verberare quidem* praeter Arundel. in quo est *ne — quidem*, retinuimus. Conf. Ramshorn. gram. lat. p. 885. — Ne quid tribuatur codicis Arundel. scripturae *inspirante* prae vulgata *imperante*, faciunt verba *nec ducis iussu.* — Verba *effigies et signa* prolata sunt per ἓν διὰ δυοῖν pro *signis effigiatis*, ut cap. 17. *maculis pellibusque*, pro *maculatis pellibus.* Multa ex hoc genere congessit Hessius et omnem hunc locum pertractavit C. L. Roth in libello qui inscribitur: C. Corn. Taciti Synonyma et per figuram ἓν διὰ δυοῖν dicta. Noribergae, 1826. 8. Sunt autem intelligenda signa, non deorum, quae Germani non habuerunt (conf. cap. 11. Lucan. III, 415.), sed ferarum. Hist. IV, 22. *hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptae silvis lucisque ferarum imagines.* Ita

verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt; effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt.
3 quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates. et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde va-
4 gitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. ad matres, ad coniuges vulnera fe-

Cimbris referente Plutarch. Mar. cap. 23. taurus aeneus pro signo militari fuit. In pace haec signa in lucis sacris condebantur.

turmam — infantium] Turma de equitatu, cuneus de peditatu, etiam de utroque. vid. Drakenb. ad Sil. IV, 144. *Hess.* De cuneis vid. not. ad cap. 6. et de familiis propinquitatibusque in acie coniunctis Rühs. p. 248 sq. — *Pignora* dcc. quicunque sunt carissimi, praecipue liberi et uxores, etiam parentes. Annal. XV, 57. *carissima suorum quisque pignora.* Alios locos suppeditat Hessius. Infinitivus *audiri* est pro verbo finito *auditur.* De re ipsa conf. Rühs. p. 250 sqq.

ad matres — gestant] Id est, vulnerati ad coniuges adeunt iisque vulnera accepta ostendunt. In proximis genuina scriptura, quam omnes codd. praeter Arundel. (qui habet *exsugere*, in quod idem coniectando Rhenanus inciderat) praebent, est *exigere;* de qua Lipsius ita: „quod robur femineum magis exprimere videtur, tamquam illae non numeraverint solum plagas, sed exegerint, expostularintque cum suis, si illaesi redissent tamquam ignavi et vitae suae parci." Cui interpretationi non convenit verbum *pavent.* Contra I. F. Gronov. Obss. I, 8. p. 60. „numerare illas dicit et expendere atque comparare inter se vulnera cum laude eius qui maiora et honestiora tulerit: vulnerum velut *exactrices* esse, ut *exactores* operis, qui attendunt, ut recte fiat." Verba tamen *ferunt* et *numerare* admonent, ut *exigere* potius eo sensu accipiatur, quo pecunia vel merces debita vel imperata exigi dicitur. At *exsugere* novum patronum nactus est Moneium, quod ex iis quae Tom. II. p. 31. disputat, coniici potest. Utique feminae, ut Rühs. p. 251. docuit, chirurgiam tractarunt, quam earum curam Moneius loco citato ad religiosam refert reverentiam, qua feminas Germani sint prosecuti, eodemque pertinuisse hunc sanguinis sugendi morem. Quae mihi qui-

runt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent. cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

CAP. VIII. Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constan-

dem argutius quam verius videntur dicta esse. — De ultimis ita Fr. Gronovius: „Tacitus ludit in verbo *gestare*, quod aliter accipitur, cum refertur ad *cibos*, aliter cum ad *hortamina*. Haec enim sic *gestantur*, ut *fertur salus*, ut *portatur ave*. Plautus Poen. (III. 3.) *Salutamus te, Lyce, quamquam hanc Salutem ferimus inviti tibi.* Martialis (I. 56.) *et matutinum portat ineptus ave.* Et cibos eis ministrant, inquit, et verbis stimulos ad virtutem addunt." Hist. IV, 18. *Civilis captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos, et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem. ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque redditur clamor.*

CAP. VIII. *memoriae proditur — imperantur*] De Teutonum fugientium mulieribus Plutarch. Mar. 19. *ἐνταῦθα δ' αἱ γυναῖκες ἀπαντῶσαι μετὰ ξιφῶν καὶ πελέκεων δεινὸν τετριγυῖαι καὶ περίθυμον ἠμύνοντο τοὺς φεύγοντας ὁμοίως καὶ τοὺς διώκοντας τοὺς μὲν ὡς προδότας τοὺς δ' ὡς πολεμίους ἀναπεφυρμέναι μαχομένοις καὶ χερσὶ γυμναῖς τούς τε θυρεοὺς τῶν Ῥωμαίων ἀποσπῶσαι καὶ τῶν ξιφῶν ἐπιλαμβανόμεναι καὶ τραύματα καὶ διακοπὰς σωμάτων ὑπομένουσαι μέχρι τελευτῆς ἀήττητοι τοῖς θυμοῖς.* De mulieribus Cimbrorum idem ibid. cap. 27. *αἱ γὰρ γυναῖκες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν μελανείμονες ἐφεστῶσαι τούς τε φεύγοντας ἔκτεινον αἱ μὲν ἄνδρας αἱ δ' ἀδελφοὺς αἱ δὲ πατέρας, καὶ τὰ νήπια τῶν τέκνων ἀπάγχουσαι ταῖς χερσὶν ἐῤῥίπτουν ὑπὸ τοὺς τροχοὺς καὶ τοὺς πόδας τῶν ὑποζυγίων, αὐτὰς δ' ἀπέσφαττον. Μίαν δέ φασιν ἐξ ἄκρου ῥυμοῦ κρεμαμένην τὰ παιδία τῶν αὐτῆς σφυρῶν ἀφημμένα βρόχοις ἑκατέρωθεν ἠρτῆσθαι.* Add. Flor. III, 3. et Rühs. p. 254 sq. Verba *obiectu pectorum* Beckerus eo refert, quod hostibus pectora obiecerint, ut caperentur. Minime. Immo suis pectora obiecerunt, qui est gestus, quem ipsa natura supplicantibus extorquet. Neque *feminarum nomine* est earum caussa, propter eas. Nam impatientius timent feminarum captivitatem quam suam, Igitur illa verba potius significant, *si feminis accidat, εἰ συμβαίη ταῖς γυναιξίν*, in der Person der Weiber, in den Weibern, sive ut bene Gutmannus *für ihre Weiber.* Verba proxima *adeo ut efficacius — imperantur* ad solos Germanos

tia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque
2 nobiles imperantur. inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa negligunt. vidimus sub D. Vespasiano Velledam diu apud plerosque numinis loco habitam. sed et olim Auriniam et complures alias ve-

pertinent, ad eosdemque Lipsius refert quod generatim scriptum est a Suetonio in Aug. 21. *a quibusdam vero novum genus obsidum, feminas, exigere tentaverit, quod negligere marium pignora sentiebat.* Huiusmodi populos nominat Monumentum Ancyranum (Tacit. opp. ed. Oberl. tom. IV. p. 847.): *aditi Cimbrique et Chariides et Semnones eiusdemque tractus alii Germanorum populi.* Apud Germanos constat plus honoris quam apud alias gentes barbaras feminis esse habitum, et ibidem ut apud omnes fere gentes futuri praesagitionem feminis fuisse propriam. Quod tamen Tacitus generatim hic ponit inesse iis sanctum aliquid et providum, h. e. facultatem futura praevidendi, hoc ad singulas esse restringendum in promptu est. Conf. Hist. IV, 61. Etiam Caesar B. G. I, 50. nimis generatim loquitur. Conf. Morus ad Caes. loc. et Rühs. p. 257 sq. Sueton. Vitell. 14. *suspectus et in morte matris fuit, quasi aegre praeberi cibum prohibuisset, vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset.* Quae mulier Catta Rhenano videtur esse potuisse Aurinia; nam Velleda fuit Bructera. De Celtarum mulieribus Plutarchus *Γυναικῶν ἀρετ.* Vol. VIII. p. 271. Hutt. *ἐκ τούτου διετέλουν περί τε πολέμου καὶ εἰρήνης βουλευόμενοι μετὰ τῶν γυναικῶν καὶ τὰ πρὸς τοὺς συμμάχους ἀμφίβολα δι᾽ ἐκείνων βραβεύοντες.* Clem. Alex. Strom. I. p. 305. *εἰσὶ δὲ καὶ παρὰ Γερμανοῖς αἱ ἱεραὶ καλούμεναι γυναῖκες, αἳ ποταμῶν δίναις προσβλέπουσαι καὶ προθεσπίζουσι τὰ μέλλοντα. αὗται γοῦν οὐκ εἴασαν αὐτοὺς τὴν μάχην θέσθαι πρὸς Καίσαρα πρὶν ἐπιλάμψαι σελήνην τὴν νέαν.* De sanctis Cimbrorum feminis conferatur a Diltheio citatus locus Strabon. VII. p. 294. (Tzsch. p. 336.)

vidimus — Velledam — facerent deas] Passovius dedit *Veledam*, ut est Hist. IV, 61. in codd. Flor. Bud. Agric., ad quem locum inprimis est consulendus Ryckius. Statii silv.

nerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.

CAP. IX. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas

I, 4. 90. *Non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem Captivaeque preces Veledae* —. Dio Cass. LXVII, 5. Γάννα παρθένος, ἣν δὲ μετὰ τὴν Βελήδαν ἐν Κελτικῇ θειάζουσα. Ad quem locum Reimarus statuit nomen esse interpretandum *Helda, Heldin.* Lipsius opinatur germanam nominis scripturam esse *Weldam.* Boxhornius refert apud veteres Germanos *Vel* s. *Vella* significare viraginem. Wachterus comparat Gothica verba *vola*, Sibylla, et *aithei*, mater; ita existit Sibylla mater. Alii aliter. Conf. Rühs. p. 258 sqq. et Moneius T. II. p. 16 sq. Beckerus p. 59. docet, pronuntiandum esse Vělědă. Apud Tacitum praeter locos citatos commemoratur Hist. IV, 65. V, 22. 24. De eius turri conf. Ledebur. l. c. p. 318 sqq. E Statii loco videtur colligi posse, Veledam Domitiani aetate captivam Romae egisse. Hoc si est, sequitur eam aut auctoritate et veneratione, in qua esset apud Bructeros, fuisse spoliatam ab ipsisque Bructeris traditam Romanis, aut ipsam Romanorum auxilium implorasse; Domitianus enim, quod sciamus, cum Bructeris bellum non gessit, nedum in eorum fines invaserit. Ita Wersebius p. 82. qui ibidem etiam hanc opinionem exprompsit, Veledam forsitan hanc ob caussam appellari captivam, quod ipsa se turri incluserit et a Domitiano, cum adversus Chattos proficisceretur, pacem genti suae precibus poposcerit. — Verba *vidimus sub D. Vesp. Velledam* hanc vim habent: vixit nostra aetate sub Vespasiano. Conf. prolegomena. — Pro *Auriniam* in cod. Farnes. est *Fluriniam*, unde Lipsius *Aluriniam.* Apud Iornand. de rebus Gothic. c. 24. p. 67. ed. Vulcan. commemorantur *Aliorunae* vel *Aliorumnae,* quae videtur apud populos septemtrionales fuisse appellatio feminarum fatidicarum et magarum facta e nominibus *all* et *runen* (wissen), ut sint feminae omnium rerum gnarae. Apud Ulphilam significat *runa* arcanum. — De verbis *nec tamquam facerent deas* recte Salinerius: „vere, non adulatorie pro deabus habebantur: *facere* enim de iis dictum, qui non vere dii vel ipsis cultoribus. Iuvenal. X, extr. *nos te, nos, fortuna, deam facimus caeloque locamus.*" Hist. IV, 61. *vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrentur deas.*

CAP. IX. *deorum maxime Mercurium — religionem*] Caesar B. G. VI, 21. *Germani deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem*

habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant. pars Suevorum et Isidi sacrificat: unde caussa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet

et Vulcanum et Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt. Ad quem locum conf. Morus. Add. Tacit. Annal. XIII, 57. Paul. Warnefried. de rebus Langob. I, 10. „*Wodan sane — ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur.*" Gotefridus Viterbiensis in Chronico: „*Votam quidam Gotam adiecta littera dixerunt. Ipse est qui apud Romanos dicitur Mercurius, et nunc ab universis Germanis ut deus adorabatur. unde usque hodie Got teutonica lingua dicitur deus.*" Moneius T. II. p. 28 sqq. Caesaris *Solem* habet pro *Othino*, *Vulcanum* pro *Thoro*, *Lunam* pro *Frigga*, quae lucis deorum trias est apud Suecos (Tom. I. p. 251.); Taciti autem *Mercurium* pro *Wodano*, *Herculem* pro *Thoro*, *Martem* pro *Odino*. Ita existit Francorum trias *Woden*, *Thunaer* et *Saxnote*. — Caesaris Tacitique dissensum Salinerius ita componit, ut post Caesaris aetatem Germanis nova numina per advenas innotuisse statuat. At quis sibi persuadeat, illa aetate Germanos cito nova numina ascivisse? summo profecto iure Moneius p. 30. negat Taciti aetate alias religiones apud Germanos ac Caesaris tempore viguisse. Copiosius de omni Germanorum religione disputat Rühs. p. 264 sqq. Add. Becker. h. l. p. 60 sqq. — Verba *humanis hostiis litare* Sprengelius accipit non de sacrificiis, quae proprie dicuntur, sed de caede captivorum, quibus deo sit litatum. In eadem sententia est Morus ad Caesar VI, 21. Conf. Grimmii l. c. p. 344. Non multum sane interest, sive bello captos sive alios homines a Germanis immolatos esse credideris, et frustra sunt, qui id agunt, ut maiores nostros a more hominum immolandorum, a quo neque Graeci neque Romani alieni fuerunt, revera fuisse alienos demonstrent. Ditmarus (Chron. Merseb. lib. I. p. 12 sq. ed. Wagn.) narrat, Nortmannos et Danos quotannis mense Ianuario diis suis immolasse XCIX homines, totidem equos cum canibus et gallis, ab eaque barbarie Henricum aucupem primum eos abduxisse. Vid. Lipsium et Sprengel. ad h. l. Quod autem Tacitus ait non Marti, sed Mercurio humanis hostiis esse litatum, id mirum videri non debet, si quidem Mercurius est Wodan seu Odin, belli deus. Conf. Rühs. p. 274 sq. Ceterum *litare* h. l. simpliciter est immolare, ut Virg. Aen. II, 118. *animaque litandum Argolica.* Conf. Graev. et Duker. ad Flor. III, 4. — De *Hercule* conf. dicta ad cap. 3. — *Concessa animalia* cum opponantur humanis hostiis, haud dubie

advectam religionem. ceterum nec cohibere parieti- bus deos neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine caelestium arbitrantur. lucos 2

sunt omnis generis animalia praeter homines, quibus Taciti tempore litare humanitas non concederet. Aliter Moneius T. II. p. 20. qui cogitat de animalibus, quae ut mactentur numen fausto omine concedat. — Quale denique numen Germanicum sub *Isidis* nomine lateat, item incertissimum est. Conf. Rühs. p. 284. Moneio p. 31. videtur significari Lunae cultus, ut Isidis forma Liburnae assimilata repraesentaverit lunam διχότομον. De Liburnis consulendus est Vegetius de re milit. V, 3—7. Liburnaeque imaginem effinxit Stewechius in comment. p. 280. *Isidis navigium* memorant Lactant. I, 11. 21. Apul. XI. p. 367. Elmenh., Lucian. in πλοίῳ, 5. Ernestius ad nostrum locum ita: „Ego lignum informe fuisse crediderim temere in eam figuram factum, in qua Romani liburnae aliquam similitudinem agnoscerent; e qua nihil aliud colligere liceat, nisi antiquitatem signi et ruditatem illorum temporum." Admodum vero probabilis est sententia Barthii, Isidem esse Hertham. Cum enim Hertha quoque navigio ex insula sua ad gentes adveheretur, inde profectam esse falsam navigii interpretationem; nomen autem Isidis sacerdotibus germanicis fuisse cognitum, a quibus id Romani in Germania audiverint. — *Comperisse* est certum habere. Cic. ad Div. V, 5. 3. *ex multis audivi; nam comperisse me non audeo dicere, ne forte id ipsum verbum ponam, quod abs te aiunt falso in me solere conferri.* Conf. Schütz. Indic. Cic.

ceterum nec cohibere — quod sola reverentia vident] *Cohibere parietibus* est aedificiis includere. Cap. 40. memoratur *templum Herthae*, et Annal. I, 51. *templum Tanfanae;* quae videntur esse loca numinibus istis consecrata et arboribus cincta cum aris; nam *templum* vocatur quilibet locus inauguratus. Annal. XV, 29. *hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque et simulacris deum in modum templi.* — Codicum scripturam *assimilare* cum Passovio haud quidem propterea, quod sensus verborum similitudinis potius quam simulationis mentionem flagitet, sed ob solum codd. consensum praefero. Nam sive in aliquo loco flagitatur mentio similitudinis, sive simulationis, id nullius est momenti ad variandam formam nominis, ut cuius origo sit *similis.* Locutio *ex magnitudine caelestium arbitrantur* est, eorum magnitudini consentaneum arbitrantur. — Doederlinus in synon. T. II. p. 90. vocabulum *lucus* contractum esse putans ex *luicus*, a *luendo*, ut sit *Sühnplatz*, lucum facit nemoris par-

ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.

CAP. X. Auspicia sortesque, ut qui maxime, observant. sortium consuetudo simplex. virgam frugi-

tem, unde in hoc Taciti loco aut zeugma admittendum sit (*lucos habent et nemora consecrant*), aut prolepsis (*nemora consecrant, ut luci sint*). Contra Doederlinum eleganter et subtiliter disputat vir doctus in libro menstruo: Schulzeitung, 1829. Abth. II. n. 56. p. 89. qui commemoravit locum Livii XXIV, 3. *lucus ibi frequenti silva et proceris abietis arboribus septus laeta in medio pascua habuit*; e quo patet lucum non esse nemoris partem, sed utraque intra se et iuxta se esse posse; propriam et principalem vocabuli *lucus* significationem esse *schlucht*, locum densis arboribus obsitum, quae ob arcanas umbras apta deorum sedes sit. Ab his non aliena sunt quae habet Bredovius: „*lucus* (a λύκη, crepusculum) silva densior, inumbrans; *nemus* (νέμος) silva rarior, in quo iumenta et pecora pascuntur.“ De etymologia vocab. *lucus* conf. etiam Sanctii Min. T. II. p. 532 sq. et de discrimine nominum *lucus* atque *nemus* I. H. Vossius ad Virg. Ecl. VIII, 86. p. 431 sq. Sen. Epist. 41. *si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus et conspectum caeli densitate ramorum aliorum alios protegentium submovens, illa proceritas silvae et secretum loci et admiratio umbrae in aperto tam densae atque continuae fidem tibi numinis facit.* Plin. H. N. XII, 1. 2. *haec fuere numinum templa, priscoque ritu etiam nunc simplicia rura deo praecellentem arborem dicant. nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus.* Add. Tacit. Germ. 34. 39. — Ultima verba *deorumque nominibus — vident* hanc vim habent: sub deorum nominibus adorant arcanam illam et mysticam naturam, quam non humana forma effictam, sed solo reverentiae sensu perfusi mente vident, seu intelligunt. Ita de Iudaeis Tacitus Hist. V, 5. *Iudaei mente sola unumque numen intelligunt: profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant.* II, 78. *nec simulacrum deo aut templum: sic tradidere maiores, aram tantum et reverentiam.*

CAP. X. *auspicia sortesque — spargunt*] Morus ad Caes. B. G. I, 50. „Sortes sunt divinationis genus, cum litterae, notae, dicta, inscripta foliis, talis, ligno, scidulis, mixta aut concussa exhibentur iis, qui deos consulunt, ut quod primum veluti sortitione exierit aut protractum sit, id

ferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse paterfamiliae, precatus deos caelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam inter- 2

responsi divini vim habeat. Patet tamen hoc verbum latius: nam omnino responsa divina dicuntur sortes." De Sibylla Virgil. Aen. VI, 72. *tuas sortes arcanaque fata.* III, 444. *foliisque notas et nomina mandat.* — Locutio elliptica *ut qui maxime* ita est supplenda: observant ut ii qui maxime observant. Apud Horat. Sat. I, 3. 9 sq. est *velut qui.* — *Simplex* interprete Longolio est sine arte, contra quam apud Romanos fieri solebat, qui multa arte sortes tractabant. Conf. Cicer. de Div. II, 41. quem locum citat Broukhus. ad Tibull. I, 3. 11. — Cap. 5. Tacitus Germaniam dixit *frugiferarum arborum impatientem*, et cap. 23. commemorantur *agrestia poma.* cap. 26. traditur Germanos per inertiam *pomaria non conserere.* Hinc patet voces *frugiferae arbori* non nimis esse premendas. Conf. Grotefend. in Hessii comment. I. p. 16. — Similem sortium consuetudinem habuerunt Scythae, de quibus consulendus Herodot. IV, 67. et Alani, de quibus Ammian. Marc. XXXI, 2. — Quo minus *notas* h. l. interpretemur *runas*, impediunt participium *discretos* et verba *impressa nota.* — Pro *fortuito* Passovius ex edd. Rom. et Nor. dedit *fortuitu.* Apud Ciceron. de offic. I, 29. 103. Beierus *fortuitu*, Gernhard. cum Heusingeris *fortuito.* In Tusc. I, 49. 118. omnes dant *fortuito.*

mox, si publice consuletur — exigitur] Scripturam *consuletur* vulgatam ante Rhenanum, qui dedit *consulatur*, quod retinuit Bekkerus, recte restituit Passovius, cui tamen viro docto in eo non assentior, quod *consuletur* refert ad sortes, quod potius pertinet ad *consultationem.* Recte Gesnerus in thesauro s. v. *consulere: sine adiecto idem quod consultare vel deliberare*, i. *consilium habere, est.* Sallust. Catil. pr. *priusquam incipias consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est.* Caes. B. G. VII, 83. *bis magno cum detrimento repulsi Galli quid agant, consulunt.* Loci igitur sensus idem est atque is quem praebet *consultatur*, quod propositum a Mureto Barkerus defendit. At quoniam tum cum sortes observantur, consultatio instat, futura est, aptius est futurum *consuletur*, quam *consultatur.* — Porro, quamquam Tacitus scripsit *sacerdos*, non *sacerdotum aliquis*, ex hoc tamen loco coniici

3 pretatur. si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus expe-
4 riri. publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti: quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis co-

non potest, singulas civitates non habuisse nisi singulos sacerdotes. Ita paullo inferius cap. 10. est *princeps civitatis*, cum tamen singulae civitates plures principes habuerint; nam cap. 13. est *principum aliquis.* Item cap. 10. est *apud sacerdotes*, ubi non nisi unius civitatis sacerdotes intelligi possunt. — Ceterum ex hoc capite certo intelligitur, Germanos, ut omnes gentes antiquas, quae haberent deorum opinionem, utique habuisse sacerdotes. Nec tamen apud hos sacerdotum separatus quidam fuit ordo, qualis Druidum apud Gallos. Viguit item apud eosdem cultus publicus et privatus; illi praefuerunt civitatis sacerdotes, hunc curarunt patres familias. Illorum qualis fuerit condicio, dici non potest. Si ad vitae tempus in sacerdotio fuerunt constituti, cum Gallorum Druidibus facillime potuisse confundi apertum est. Conf. Becker ad c. 7. p. 54 sqq. Grimm. l. c. p. 270. — *si prohibuerunt* scil. *surculi* s. *sortes*, et ita *dii*, quam vocem supplet Moeser. Hist. Osnabr. T. I. p. 51. quem citat Hessius. Add. Becker ad h. l. — *Fides auspiciorum* est auspiciis effecta persuasio rem, de qua consultatio sit futura, feliciter esse cessuram; *adhuc* significat *praeterea*, *insuper*, ut cap. 38. Conf. Böttich. Lex. Tacit. p. 33.

et illud quidem etiam hic — conscios putant] *Etiam hic*, ut apud alios populos. Cic. de Div. II, 39. *at omnes reges, populi, nationes utuntur auspiciis.* — *Avium voces volatusque* pertinent ad oscinum praepetumque discrimen. Add. Rühs. p. 332 sq. Porro Tacitus cum scribit *proprium gentis — experiri*, solos Romanos respicit; neque enim ignorabat etiam Persas in rebus sacris equis candidis usos esse. Conf. Herodot. I, 189. VII, 55. Iustin. I, 10. 5. — Luizicis saeculi XI. Ditmarus (Chron. Merseb. lib. VI. p. 151.) idem praesagium attribuit, sed diversa paullum forma: *equum*, inquit, *qui maximus inter alios habetur et ut sacer ab his veneratur, super fixas in terram duorum cuspides hastilium inter se transmissorum supplici obsequio ducunt: et praemissis sortibus quibus id exploravere prius, per hunc quasi divinum*

mitantur hinnitusque ac fremitus observant. nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes: se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. eius gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

denuo augurantur. — Verba *iisdem nemoribus ac lucis* respiciunt verba cap. 9. *lucos ac nemora consecrant.* Aluntur igitur in iisdem nemoribus ac lucis, quos consecrarunt, suntque *candidi.* Equi candidi apud Romanos ob celeritatem in magno erant honore et currui triumphali iungebantur. Apud Virgil. Aen. XII, 84. Turnus utitur *equis, qui candore nives anteirent, cursibus auras.* Conf. I. H. Vossius ad Virg. Georg. p. 547. — In verbo *contacti,* ut in loco Livii XXIX, 8. *eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem obiecit;* notio *contaminandi* inest. Locutio *pressi curru,* i. e. currui subiuncti, praeter hunc locum non videtur exstare; sed cum frequenter et recte dicatur *premi iugo,* equi propter iugum, quo currui iuncti sunt, etiam ipso curru premi recte dicuntur. Quod autem *premi* de quovis ministerii genere, etiam de levissimo, ut ap. Tibull. IV, 10. 3. *pressumque quasillo scortum,* usurpatur, id huc non pertinet. — In locutione *non solum — sed* non dici potest post *sed* deesse *etiam.* Nam *sed* in altero enuntiato sine voce *etiam* usurpatur, ubi in hoc altero enuntiato maior vis inest quam in priore, ut verti possit *sondern vielmehr, sondern sogar.* Ita cap. 15 *quae non modo a singulis, sed publice mittuntur.* Conf. Ramshorn. gram. lat. p. 832 sq. ed. 2. Similiter Graeci, ut Plato Phaedr. c. 54. p. 47. Ast. εἰ μέλλεις μὴ τριβῇ μόνον — ἀλλὰ τέχνῃ —. Ubi usurpantur *non modo, sed etiam,* utrumque enuntiatum pari pondere valet. — Ad *conscios* repete *deorum,* i. e. illos gnaros esse deorum voluntatis, quam hinnitu ac fremitu aperiant. Diltheius citat Rupert. ad Iuvenal. III, 49. Heyn. ad Tibull. I, 8. 3. coll. Tibull. III, 4. 5.

quoquo modo interceptum — pro praeiudicio accipitur] *Intercipere* est etwas unterwegs vor Erreichung eines Zieles in Empfang nehmen. Conf. Iacobus in Iahnii Annall. paedag. 1828. VII. 2. p. 182. — *patriis quemque armis,* praepositione *in* non addita, quam addit Virgil. Aen. III, 595. *et quondam patriis ad Troiam missus in armis.* Georg. III, 346. *non se-*

CAP. XI. De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes
2 pertractentur. coeunt, nisi quid fortuitum et subitum

cus ac patriis acer Romanus in armis. — Verbum *committendi* in hac re est proprium. Sueton. Aug. 45. *quos* (pugiles Latinos) *committere cum Graecis solebat.* — *Praeiudicium*, ein vorläufiges Urtheil, das vor dem eigentlichen entscheidenden Urtheile vorhergeht; Vorentscheidung, die günstigen ausgang des kriegs als eigentliche entscheidung hoffen liess. Grimm. l. c. p. 928. Quod h. l. Tacitus refert, videtur esse origo ordaliorum (Gottesurtheile), quae medio aevo viguerunt.

CAP. XI. *de minoribus rebus — pertractentur*] Haec videntur ita esse intelligenda: de minoribus rebus consultare et decidere principum est, de maioribus omnium et principum et plebis; harum tamen maiorum rerum est discrimen; aliarum enim arbitrium est penes plebem et principes simul, aliarum penes solam plebem; verum hae quoque res pertractantur, i. e. diligenter tractantur *apud principes*, i. e. iis praesentibus et una consultantibus, quamquam iubendi easque decidendi potestatem non habent. — Coniecturae *praetractentur* nihil est tribuendum, cum *praetractare* non sit verbum latinum, et, si maxime esset, huic loco male conveniret. Quos enim fuisse qui praetractarent, putabimus, cum Tacitus dicat *apud principes*, non, *a principibus? Principes* autem interprete Beckero sunt die in der Volksversammlung gewählten Richter oder Grafen, die aus denen genommen wurden, welche Ansehen besassen durch Klugheit, Erfahrung, Kriegsruhm, Reichthum umd Anhang, nicht *Edle* oder Adliche. — *Arbitrium* seu arbitri iudicium fit ex aequo et bono. Conf. interprett. ad Cicer. Off. III, c. 15. Videntur apud Germanos pleraeque caussarum decisiones fuisse arbitria, ut qui scriptas leges non haberent, certis autem sceleribus flagitiisque poenas certas more et institutis maiorum irrogarent.

coeunt, nisi quid — credunt] Recte Orellius monet, Gebauerum (p. 202.) falli, cum existimet e singulis vicis pagisque non omnes cives, sed tantummodo ablegatos quosdam ad concilia habenda coisse. Immo *omnes* Tacito ipso auctore. „Quomodo in rebus fortuitis ac subitis plebem ad comitia convocaverint principes, colligitur ex antiqua illa de Gothlandiae originibus narratione c. 4, 3. Guta-Lagh. p. 114. In diesem Monat soll eine Woche lang der Bothschaftsstab um-

**incidit, certis diebus, cum aut incohatur luna aut
impletur: nam agendis rebus hoc auspicatissimum ini-
tium credunt. nec dierum numerum, ut nos, sed no-
ctium computant. sic constituunt, sic condicunt. nox 2
ducere diem videtur. illud ex libertate vitium, quod**

her gehen, und die Gemeindeversammlung zusammenberufen werden. De caduceo illo gothice *buthcafli* consulendus est Schildener." *Orell.* Recepi *incidit*, scripturam multis et idoneis auctoritatibus nixam, multoque aptiorem quam quod vulgatum est, *inciderit.* — *Subitum* est quicquid praeter opinionem et improvisum accidit, atque ita accidunt *fortuita. Certi dies*, quibus coeunt, et lauti quidem post cibum captum et ante meridiem (cap. 22.), sunt tempus interlunii et plenilunii. Hae enim sunt temporis distinctiones, quae hominum rudiorum, plenis exactisque fastis carentium, et oculos et animum facile certoque afficerent admonerentque. Accessit Lunae veneratio atque opinio, tali tempore rerum agendarum initium facere optimi esse ominis. De simili Gallorum superstitione vid. Caes. B. G. I, 50. Plin. H. N. XVI, 44. XXIV, 4. — De forma *incohatur* laudat Hessius Bothium ad Horat. Carm. T. I. p. 29. Forcellin. s. v. et Schneideri gram. lat. T. I. P. I. p. 205. — Scripturam *auspicatissimum*, quae est in una edit. Rom., Beroaldus pro *auspicacissimum* tacite invexit, et Passovio perquam dubitandum videtur, num e codice invexerit. Nec sane patet, qui forma usitata in hanc prorsus inusitatam ita constanter potuerit corrumpi, quae utique significare potest *boni ominis plenissimum.* Ceterum *auspicatissimum exordium* est ap. Quintil. X, 1.

nec dierum numerum — videtur] Quod hic Tacitus de Germanis, idem de Gallis tradit Caesar B. G. VI, 18. *Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. ob eam caussam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt; dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* G. Ch. Gebauerus in commentatione de comitiis veterum Germanorum ad hunc Taciti locum (Gottingae, 1754.) p. 22—24. locos scriptorum indicavit, unde hunc morem ad annum 1566. obtinuisse intelligitur. Conf. Morus ad Caesar. loc. l. Etiam Athenienses a solis occasu ad solem occidentem omne in medium tempus unum diem esse dicere solitos Varro tradidit. Vid. Macrob. Saturn. I, 3. Idem dicendum de Hebraeis. vid. Genes. I, 5. Ut autem hoc modo temporis partes finirent, moti mortales esse videntur ob-

non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. ut turbae placuit, considunt armati. silentium per sacerdotes,
4 quibus tum et coercendi ius est, imperatur. mox

servatarum lunae mutationum varietate et constantia, cum solis aspectus quotidie oblatus idem esset. — *Constituere* et *condicere* sunt vocabula forensia, quorum illud significat *in certum noctium numerum cum altero statuere, pacisci* (cap. 22. *constituunt, dum errare non possunt.* Conf. Beier. ad Cic. offic. I, 10. 32. p. 73.), et hoc *zusagen.*

nec ut iussi — imperatur] *Nec ut iussi* scripsimus cum Bekkero de coniectura Lipsii, quam praeferunt etiam Passovius et Beckerus. Scripturae diversitas in codd. et vett. edd. est *nec iussi, nec iniussi, nec iussu, ut iussu, ut iussi.* Particula *ut* est in solis codd. Hummel. et Arundel. horumque codd. lectiones *ut iussu, ut iussi* sine coniunctione *nec* commodum sensum praebent. Nempe qui *iussu* seu *iussi* conveniunt, *simul*, eodem tempore, quo sunt iussi, conveniunt; at Germani liberi observant quidem in conveniendo tempus interlunii et novilunii, non tamen tam diligenter, ut uno alterove die tardius venire religioni sibi ducant. Eadem sententia existit, si scribitur *nec ut iussu* seu *iussi*, quae sic sunt explicanda: *id est, non ut iussi.* Ceterum fallitur Beckerus, cum haec verba ad solos conventus extraordinarios refert. Nam si Tacitus ad utrumque conventuum genus respexit, videtur scribendum fuisse *nec ut iussum.* — De Treviris Caes. B. G. V, 56. *armatum concilium indicit, quo lege communi omnes puberes armati convenire consuerunt: qui ex iis novissimus venit, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necatur.* Eadem severitate Francorum reges usi sunt. Vid. die Germania des Tacitus, v. F. Bülau, I. Weiske u. K. von Leutsch. p. 184. — Pro *cunctatione* in edit. Par. est *contatione* qua de forma conf. Grotefend. gram. lat. T. II. §. 193. — Tum F. Gronovius Tacitum ait scripsisse: *ut turba placuit;* hoc sensu: *postquam satis frequentes convenisse sibi visi sunt.* Prorsus ego iis assentior, qui hanc mutationem reiiciunt. Nam non solum hoc incommodum est, quod ista mutatione probata ipsa turba sit, quae sibi placeat, sed prope ineptum est, quod locutio *turba placet* sic intelligenda sit: multitudo satis magna videtur. Aliud est, ubi dicitur c. 16. *ut campus, ut nemus placuit.* Neque *turba* sic simpliciter denotat *multitudinem*, sed *multitudinem inordinatam.* Denique hoc ipsum, quod congregati considant non

rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt. honoratissimum assensus genus est armis laudare.

CAP. XII. Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. distinctio poenarum ex

ex principis mandato, sed quando ipsis placuerit, signum est libertatis. — Cap. 13. *nihil neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt.* cap. 22. *tum ad negotia, nec minus saepe ad convivia procedunt armati.* Priscos Graecos semper armatos fuisse narrat Thuc. I, 5. 6. Apud Virgil. Aen. VII, 748. Aequiculi *armati terram exercent.* — Sacerdotes coercendi eos qui clamore turbant ius habent *tum*, cum congregati consederunt, neque amplius. Scriptura *tamen* pro *tum* non potest eo defendi, quod e cap. 7. constet, sacerdotes semper habuisse ius coercendi. Hoc minime constat ex illo loco, ut qui ad solum belli tempus pertineat. — *Imperare* plus est, quam *iubere.* Terent. Eun. I, 3. 97. *iubeo, cogo atque impero.* I. H. Voss. ad Virgil. Georg. p. 77. *imperare,* mit Strenge gebieten, ein militärisches Wort.

prout aetas cuique — armis laudare] Prima verba de solis principibus sunt accipienda, qui magis audiuntur propterea quod habeant suadendi auctoritatem, quam quod iubendi potestatem. *Auctoritate* et *potestate* sunt ablativi absoluti, ut cap. 12. *levioribus delictis*, et cap. 15. *mira diversitate naturae.* Conf. de h. l. etiam Roth. in N. Archiv. 1830. n. 3. — Locutionem *armis laudare* Gronov. c. 29. ubi formulam *tributis contemnere* illustrat, interpretatur *in honorem alicuius collisis armis sonitum edere, quod valet atque est pro laude.* De Batavis orationem Civilis sibi placuisse demonstrantibus Tacitus Hist. V, 17. *ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta.* De Gallis Caesar B. G. VII, 21. *conclamat omnis multitudo et suo more armis concrepat, quod facere in eo consueverunt, cuius dicta approbant.* Add. Grimmii germ. iur. antiquitt. p. 770.

CAP. XII. *accusare quoque — abscondi*] Id est, *accusando in capitis discrimen adducere.* Videtur in solis gravioribus delictis apud concilium actio fuisse instituta. Caussas leviores decidebant principes qui cum comitibus pagos vicosque iuris dicundi caussa obibant. Duplex enim fuit apud Germanos iurisdictio, altera in comitiis exercita ab universis,

delicto. proditores et transfugas arboribus suspendunt; ignavos et imbelles et corpore infames coeno
2 ac palude iniecta insuper crate mergunt. diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi

altera, quam principes cum comitibus pagos vicosque obeuntes habebant. — *Proditores arboribus suspendunt.* Conf. Mannert. Freyheit d. Franken etc. p. 318. Grimm. l. c. p. 682. Liv. I, 26. *infelici arbori reste suspendito.* — *Ignavi et imbelles* sunt tum ii qui militiae se subtrahebant (die mit dem Heerbann nicht auszogen), tum ii qui in ipsa pugna ordines deserebant. Lotharius Imp. Legg. §. 71. *quicunque liber homo a comite suo fuerit ammonitus ad patriam defendendum et ire neglexerit et exercitus supervenerit ad istius regni vastationem — capitali subiaceat sententiae.* vid. Orell. — *Corpore infames* si alios apud Germanos Tacitus intellexisset, quam qui apud Romanos ita appellabantur, haud dubie per adiectionem aliquam clarius mentem suam aperuisset. Quique ita sint appellati, intelligitur ex his locis: Annal. I, 73. *Cassium quendam, mimum corpore infamem.* XV, 49. *Quinctianus mollitia corporis infamis.* Sunt igitur etiam hoc loco intelligendi homines infames foeda Veneris aversae nota. Atqui immunes hac labe in universum fuisse Germanos, tum ea arguunt, quae narrant Tacitus cap. 20. et Caesar B. G. VI, 21., tum quod Quintilian. in declamatione pro milite, cuius pudicitia tentata a tribuno (III, 16.), *nihil tale*, inquit, *novere Germani et sanctius apud Oceanum vivitur.* Quod tamen non obstat, quominus singulos credamus subinde eo nequitiae esse prolapsos, in eosque ob ipsam foeditatem summam, quam Germanis res habere videretur, severissime esse animadversum. Ita apud eosdem Germanos, quamquam matrimonia essent severa neque ulla morum pars magis laudanda, tamen adulteria committebantur (cap. 18.). Sexto Empirico Hypot. III, 24. cum ait, *παρὰ Γερμανοῖς ὥς φασιν οὐκ αἰσχρὸν, ἀλλ' ὡς ἕν τι τῶν συνήθων*, fides haberi nequit. Eiusdem flagitii Celtas insimulant Athenaeus XIII, 8. Aristot. polit. II, 9. Diodor. Sic. V, 32. quos locos citavit Lipsius. Ceterum frustra quaesiveris, qua via turpissimae rei notitia ad Celtas Germanosve pervenerit. De Germanis culpa non vacuos fuisse Romanos e caussis cognoscitur quibus Batavorum seditio est commota. Conf. Hist. IV, 14. Add. de Taciti loco Becker. in N. Archiv. 1830. n. 51 52. — *Iniecta insuper*, i. e. superne, ut cap. 16. *multo insuper fimo onerant.* De hoc supplicii genere apud Germanos conf. Grimm. p. 695.; apud Romanos

oporteat, dum puniantur, flagitia abscondi. sed et levioribus delictis pro modo poenarum equorum pecorumque numero convicti multantur. pars multae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur.

Liv. I, 51. *ibi tam atrox invidia orta est, gladiis in medio positis, ut indicta caussa novo genere leti deiectus ad caput aquae Ferentinae crate superne iniecta saxisque congestis mergeretur.* IV, 50. *ad vociferationem eorum, quos necari sub crate iusserat.* Plaut. Poen. V, 2. 65. *sub cratim uti iubeas sese supponi atque eo lapides imponi multos, ut sese neces.* — De discrimine vocabulorum *sceleris* et *flagitii* Doederlinus in Synonym. Vol. II. p. 141 sqq. accurate ita disputat: *Flagitium* ist ein Verbrechen gegen sich selbst, gegen die eigene Ehre, durch Schlemmerei, Unzucht, Feigheit, kurz durch Handlungen, welche nicht eine Folge ungezügelter Kraft, sondern moralischer Schwäche sind, durch Aeussrungen der ignavia, eine *Schandthat*; *scelus* ist ein Verbrechen gegen andre, gegen das Recht Einzelner oder den Frieden der Gesellschaft, durch Raub, Mord, namentlich auch durch Aufruhr, kurz durch Aeussrungen der malitia, ein *Verbrechen*.

sed et levioribus delictis — exsolvitur] Particula *et* respicit superiora, graviora delicta. Tum verba *levioribus delictis* non pendent e verbo *convicti*, quamquam *convincere* etiam cum simplici ablativo construitur, ut Suet. Ner. 31. *scelere convictos*; pro quo Cicero pro Sulla 30, 8. *in hoc scelere convictos* (conf. Boetticheri Lex. Tac. s. v.); neque in Taciti loco praepositio *in* est supplenda. Sunt ablativi absoluti. — Verba *pro modo poenarum equorum — numero* etc. quae est omnium librorum scriptura, hunc sensum praebent: prouti major minorve delicti poena alicui constituitur, maiori minorive equorum pecorumque numero multatur. Acidalii commentum *pro modo poena* commodum intellectum non habet. „Fundorum quoque parte in Gothlandia, v. Guta — Lagh. C. 38, 14. Ex lege Ripuariorum §. 36. in *weregeldo* bovem pro duobus solidis, vaccam pro uno, scutum cum lancea pro duobus tradere iis qui vindicabantur, licebat.“ *Orell.* Bene de toto argumento disputat Ial. Weiske in libro: die Germania des Tacitus p. 191 sqq. Add. Grimmii antiquit. p. 648. — Formam *multantur*, *multae* tuetur Grotefend. gram. lat. T. II. §. 193. Passovius scripsit *mulctantur — mulctae*. Compositio homicidii appellata est *werigelt*, non wehrgeld. Vid. Grimm. p. 650. — *qui vindicatur*, i. e. is cui satisdatur, dem Recht

12 **Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas adsunt.**

verschaft wird. „*Ipse qui accusaverit et probare non potuerit, componat guidrigild suum medietatem regi et medietatem ei cui crimen iniecerit.* Rotharis Legg. §. 9.“ *Orell.*

qui iura — reddunt — adsunt] Indicativus *reddunt*, pro quo Ernestius putat Tacitum *reddant* dedisse, quod dedit Bekkerus, recte se habet, non tam propterea quod Tacitus de hac principum electione ut de re certa sibique satis nota loquatur, quam quod verba *qui — reddunt* continent principum attributum, quo eorum dignitas accuratius definitur; ut cap. 3. *carmina, quorum relatu — accendunt animos.* cap. 15. *conferre frugum quod — subvenit.* Etiam hoc notandum, quod Tacitus paullo ante scripsit *dum puniuntur*, non *puniantur.* Cicero ubique coniunctivo usus esset. Add. Ramshorn. p. 738 sq. Cum Tacito conferendus Caesar B. G. VI, 23. *in pace est nullus communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controversiasque minuunt.* Ad Taciti locum haecce Bernegger: „sunt in quibusdam locis Germaniae velut Palatinatu, Franconia etc. iudicia criminalia, quae appellantur *Zentgericht*, eorumque praesides *Zentgraffen* sive *Zentgreven*, et assessores *Zentschopfen* sive *Zentscheppen*, caussae vel casus ad ea pertinentes *Zentfelle* vel *Zehntbarefelle.* Id antiquissimum hoc Germanorum institutum fuit, ut a numero assessorum sive comitum centenario sic dictum *Zehntgericht*, quale centumvirale iudicium Romanis. *Zentgraffen* comites centenarii, praesides et principes eius iudicii, qui et *centenarii* in antiquis Germanorum legibus dicuntur, ut centumviris praesidebant Romae decemviri, *Zentschopfen*, ut Romanis centeni iudices, et quod primo numerus fuit, deinceps nomen et honor. Ipsum vocabulum *Zehnt* territorium sive districtum cuiusque iudicis significare videtur: *centena* in legibus Alamannorum.“ Lex prisca Alamannorum tit. 36. l. I. haec est: „*Conventus autem secundum consuetudinem aliquam fiat in omni Centena coram Comite aut suo Misso, et coram Centenario ipsum placitum fiat.* — Iulio Weiskio l. c. Taciti *centeni* videntur esse Visigothorum *centenarii*, qui denas decanias mittebant et ducebant. Cumque initio tantum viri fortes et semper alii centuriis praeficerentur, sensim videtur factum esse, ut qui semel electi essent, munus acceptum retinerent, et ut centuriarum duces appellarentur *centeni*, *hunderte.* Hoc belli institutum etiam in pace est servatum, iidemque centeni prin-

CAP. XIII. **Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinquus scuto frameaque iuvenem ornant. haec apud illos toga, hic primus iuventae ho-** 2
nos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publi-

cipum per pagos vicosque ius dicentium comites fuerunt. Eos *ex plebe comites* appellat Tacitus, quo distinguantur a comitibus e familiis nobilibus, qui non essent consilium et auctoritas, sed decus et ornamentum. Conf. etiam Becker ad Taciti locum. — De vocabulo *grafio*, cui respondet latinum *comes*, conf. Grimm. p. 752 sq. — *Consilium* dicitur de iudicibus, de assessoribus eius, qui iudicio praeest. Ita Cicero de orat. I, 26. 121. *consilium dimittere.*

CAP. XIII. *nihil autem neque publicae — mox rei publicae*] Cum prisca aetate civitatibus nondum satis ordinatis pax semper esset incerta atque subitis saepe certaminibus interrumperetur, semper armatos esse oportuit. Conf. notata ad cap. 11. et Grimm. p. 237. — Locos Taciti, ubi usus est locutione *moris est*, indicavit Boetticher in Lex. Tacit. p. 211. Proxima sic sunt intelligenda: quam civitas exploratione instituta agnoverit armis gerendis laboribusque belli tolerandis satis robustum. *Probare* i. q. δοκιμάζειν. Plat. Crit. 13. ἐπειδὰν δοκιμασθῇ. Cap. 18. *munera probant.* Add. Gronov. Observ. p. 500. ed. Platn. qui ait: *qui delectu acto ad sacramentum aliquem admisissent, ipsi probasse militem dicebantur.* — Porro edd. ante Rhenan. praeter Nor. praebent *tum eum*, quam scripturam Passovius autumat quodammodo defendi posse, et hoc quidem sensu: *qui antea in puerorum numero habebatur, eum scuto frameaque ornatum iuvenem agnoscunt et pronunciant.* Quod et ipse probarem, hoc quidem sensu, *qui antea puer erat, eum tum a civitate probatum et iuvenem agnitum scuto frameaque ornant*, ne locutio *scuto frameaque iuvenem ornant* hanc vim haberet: ornando iuvenem faciunt (sie rüsten ihn zum Jünglinge aus); nisi *eum* et *iuvenem* nimis magno spatio a se distarent. Facile potuit pronomen *eum*, a nescio quo ad verbum *suffecturum* ascriptum per errorem post adverbium *tum* irrepere. — Pro *vel pater* est in cod. Longol. et ed. Nor. *vel ipsi;* unde satis probabiliter Kahntius (Schulzeitung 1830. Febr. II. No. 21. p. 167.) coniecit scribendum esse *vel ipse pater*, ut cap. 10. *ipse pater f.* — Apud Romanos pueris XVII annos natis toga virilis s. pura in foro dabatur a praetore, ad quem

cae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis assignant: ceteris robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter comites aspici. gradus quin

a parentibus et amicis deducti erant; apud Athenienses pueri eadem aetate inter ἐφήβους recipiebantur; apud Germanos quo tempore pueri armarentur, non videtur constitutum fuisse ex certo annorum numero, sed ex robore et agilitate, qua in conciliis excellerent, plerumque tamen id factum non esse ante annum vicesimum. „*In nono decimo anno homini Longobardo sit legitima aetas.*" Liutprandi Legg. IV. p. 55. Murat. Idem colligi potest ex Caes. B. G. VI, 21.

insignis nobilitas — inter comites aspici] Duplex huius loci expediendi ratio est proposita, cum alii *principis dignationem* intelligant principis dignitatem, alii honorem a principe habitum. Priorem rationem post Ernestium, Antonium et Hartmannum (Part. I. p. 17 sq.) maxime Diltheius exornavit, cuius disputatio huc fere redit: Cum principis dignitas s. principatus ob merita fere in concilio daretur neque natales sequeretur, principum quoque filii ut plebeiorum in legitima demum aetate constituti armis in concilio instruebantur eoque honoris aditum consequebantur. Ab hoc tamen instituto nonnunquam discedebatur, si quis principis filius generis nobilitate et patris meritis insignis esset. Huic etiam ante legitimam aetatem, adhuc adolescentulo, antequam ipse facinoribus fortibus inclaruerit, principum dignitatem concedunt atque permittunt ut inter principum comites aspiciatur. Huic rationi maxime hoc mihi adversari videtur, quod hi adolescentuli dicantur simul habere principis dignitatem et inter principum comites aspici, cum tamen ex Germanorum institutis ipsi principes alios haberent comites. Altera ratio, prouti a Beckero est explicata, haec est: Cum princeps ex more recepto iuvenem armare non posset, nisi civitas eum suffecturum probasset, nonnunquam tamen ab hoc more discedebatur, si qui adolescentuli insigni nobilitate essent aut patres magnis meritis conspicuos haberent; his igitur adolescentulis principis dignatio assignabatur, i. e. a principe digni habebantur, qui armarentur et inter comites reciperentur. *Principis dignationem* intelligit *Auszeichnung von dem Fürsten.* — Orellius contra hanc principis dignationem non illuc putat pertinuisse, quod digni sint habiti qui armarentur, sed eo solum, quod, postquam iam essent in concilio armati, inter principis reciperentur comites, qui solerent fere esse robustiores ac iam pridem probati. Quae ratio mihi quoque videtur praeferenda,

etiam et ipse comitatus habet, iudicio eius quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuvenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium. nec 4
solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationi-

esse; neque obstat verbum *assignant*, quod nequaquam est *conciliant*, sed propriam vim, qua est *attribuere aliquid tamquam proprium*, retinet, modo ne *dignationem* intelligas vi abstracta existimationem honorificam, sed vi concreta *locum honestum apud principem*. Sic omnia bene cohaerent. Ceterum aliis locis vocabulum *dignationis* plerumque significat existimationem, approbationem et favorem, ut Liv. II, 16. *Appius inter patres lectus haud ita multo post in principum dignationem pervenit.* X, 7. *eos nos iam — esse spero, qui sacerdotiis non minus reddamus dignatione nostra honoris, quam acceperimus.* Suet. Cal. c. 24. *reliquas sorores nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit.* Iustin. 28, 4. *Cleomenes diu in summa dignatione regis vixit.* Locos Taciti collegit Boetticher in Lex. Tac. s. v. — Retinui Passovii interpunctionem; nam verba *nec rubor inter comites aspici* non pertinent ad omnes omnino comites, sed ad solos illos adolescentulos patribus nobilibus optimeque meritis ortos, qui brevi principes futuri ipsi comites habebunt. Alii, etiam Bekkerus, post *aggregantur* punctum ponunt. — *Rubor est* i. e. pudori est. Vid. Boettich. s. v.

et ipse comitatus habet — bella profligant] Copula *et* omissa est in nonnullis edd. vett., et potest abesse. De Gallorum huic Germanorum simili instituto vid. Caes. B. G. VI, 23. III, 22. VI, 15. VII, 40. Polyb. II, 17. — Verba *haec dignitas, hae vires* recte Sellingius cum praecedentibus coniunxit, puncto posito post *vires;* estque vocabulum *dignitas* referendum ad *comites*, et voc. *vires* ad *principes*. Coniunctivus, vel potius optativus *emineat* sententiam exprimit ut cogitatam. Similis est orationis conformatio cap. 7. *si prompti — agant.* — Principes quibus magnus est et fortis comitatus, a finitimis civitatibus *expetuntur legationibus*, i. e. mittuntur ad eos legationes quae eorum auxilium et amicitiam expetant. Conf. Annal. I, 57. II, 45. *Bella profligant* est *ad finem perducunt.* Sic Hist. II, 4. Conf. Gell. XV, 5.

bus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant.

CAP. XIV. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare. iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse. illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare, praecipuum sacramentum
2 est. principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et

CAP. XIV. *non adaequare — praecipuum sacramentum est*] Codd. et editt. veteres fluctuant inter *adaequare* et *aequare*. Recentiores omnes *adaequare* dederunt, quo vocabulo composito Tacitus saepe utitur. Conf. Boetticher. s. v. — *Iam vero*, quod inservit orationis continuationi, idem fere est quod *porro*. — Quod singuli comites quibusdam temporibus animi impetu abrepti fecerunt, id Tacitus per errorem, ut videtur, ad omnes omnino transfert. Vid. Becker ad h. l. Ammian. Marcell. XVI, 12. p. 117. Bip. *quibus visis* (Chnodomarius rex Alamannorum) *compulsus ad ultimos metus ultro se dedit, solus egressus: comitesque eius ducenti numero et tres amici iunctissimi, flagitium arbitrati post regem vivere vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos.* — In aliquot codd. et veteribus edd. pro *praecipuum* exstat *principum*, scriptura minime contemnenda. Est enim *sacramentum alicuius* id sacramentum, quo quis alteri obstringitur. Ita Tacitus Hist. I, 70. *sacramento Vitellii accessisse.* cap. 76. *Iudaicum exercitum Vespasianus, Syriae legiones Mucianus sacramento Othonis adegere.* Hist. II, 55. *quod erat in urbe militum, sacramento Vitellii adactum.* Quod ait Passovius solennem in his videri numerum singularem, id non omnino verum est; nam apud ipsum Tacitum legimus Hist. I, 5. *miles urbanus longo Caesarum sacramento imbutus.* Illud magis adversatur lectioni *principum*, quod hoc idem vocabulum parvo intervallo iusto crebrius repeteretur orationisque structuram impeditam redderet et inconcinnam. Quamobrem tenendum est *praecipuum*, verbum autem *sacramentum*, quod minus quiddam est quam iusiurandum (vid. interpretes ad Liv. XXII, 38.) hac vi accipiendum, eine vorzüglich heilige Verpflichtung, Weihe. Locutio ipsa petita a Romanorum sacramento militari. Conf. Lipsius ad Annal. XV, 67.

si civitas — torpeat — per bella et raptus] Cicero N. D. I, 37. 102. *deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut,*

otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies et facilius inter ancipitia clarescant, magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare. exigunt enim principis sui liberalitate il- 8
lum bellatorem equum, illam cruentam victricemque

si se commoverit, vereamur, ne beatus esse non possit? Hessius citat Ruhnken. ad Vell. II, 61. et Cort. ad Sall. Cat. 16. — '*Nobiles adolescentes* sunt e numero comitum principis, qui cum principe, cuius mentionem Tacitus omisit, nationes bellum gerentes petunt. Coniunctivus *clarescant* pro quo *clarescunt* Bekkerus, exprimit rem ut ab adolescentibus cogitatam. Porro lectio *tueare* quam etiam Bekker. dedit, praeferenda est alteri *tueantur.* Quamquam enim id quod dicitur, ad solos principes pertinet, poterat tamen scriptor id exprimere generaliter, ut orationis formam variaret. Nec tamen *tueantur* inconcinnam reddit orationem. Deinceps Acidalius scribit *a principis*, quod praefero. Nam *exigere* tam constanter cum praepositione construitur, ut ne Tacitus quidem, quamquam in usu ablativi paullo liberior, eam omittere voluisse videatur. Defectu praepositionis non offensus est Bötticher in Lex. Tacit. p. 5. De usu vocabuli *liberalitatis* Tacito consueto conf. Grammat. Quaestion. V. e Tacito repetit. scr. *C. L. Roth.* quae sunt insertae libro: Neues Archiv f. Philologie u. Pädagogik. Jan. 1830. no. 3. 4. cd. 21 sq. *Equum bellatorem* recte Gebauerus p. 133. intelligit equum ad belli labores cum sessore fortiter tolerandos, idoneum, acrem, generosum, obsequio, robore, velocitate praestantem. Hic equus, haec framea cruenta victrixque, quae diversa est ab illa, qua iuvenes in concilio ornantur, sunt belli decora. — Vocabulum *convictus*, quod in codd. Hummel. et Longol. edd. Rhen. mai. et Par. omittitur, abesse non potest, et recte Passovius, nemo facile, inquit, dixerit, quinam sint apparatus illi, tam nude in medio collocati, nisi retulerit ad *convictus.* Iam Pichena vidit, verba *largi apparatus* gignendi casu esse posita. *Epulae* et *convictus* ut synonyma sunt coniuncta, et vocabulum *convictus* significatu convivii praeter hunc locum reperitur cap. 21. Annal. II, 27. XIII, 15. XIV, 4. Hae epulae comitibus sunt pro salario. *Munificentia* est πολυδωρία et maius quam liberalitas. Locum illustrat Caesar B. G. VI, 23. *latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cuiusque civitatis fiunt: atque ea iuventutis exercendae ac desidiae minuendae caussa fieri praedicant.*

frameam. nam epulae et, quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. materia muni-
4 ficentiae per bella et raptus. nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostes et vulnera mereri. pigrum quin imo et iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare.

CAP. XV. Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno

nec arare terram — sanguine parare] Quod hic Tacitus et Caesar B. G. VI, 22. de neglecta apud Germanos agricultura dicunt, id ad solos principes eorumque comites pertinet. Plebem enim ab agricultura minime alienam fuisse, testatur ipse Tacitus capp. 5. 15. 26. 45. Et unde vitam sustentare potuisse tantam multitudinem credemus, nisi agriculturae, quantum quidem necesse esset, studuissent? Conf. Becker. ad h. l. — *Annum exspectare* est, exspectare dum per anni decursum agri culti fructus ferant, das Jahr abwarten. Conf. de hoc verbi *exspectandi* usu Heindorf. ad Horat. Sat. I, 5. 9. — *Vocare hostem* est *lacessere, provocare.* Ita Ann. VI, 34. *vocare ad pugnam.* Hist. IV, 80. *vocare offensas.* Virg. Aen. VI, 170. *cantu vocat in certamina divos.* Georg. IV, 76. *magnisque vocant clamoribus hostem.* — *Vulnera mereri* est, fortiter pugnando vulnera accipere. Conf. cap. 7. Ostendit hic Taciti locus recte ita scribi apud Plin. ep. I, 8. 14. *nec si casu aliquo non sequatur* (gloria), *idcirco, quod gloriam non meruit, minus pulcrum est.* De Thracibus Herodot. V, 6. *ἀργὸν εἶναι, κάλλιστον· γῆς δὲ ἐργάτην, ἀτιμότατον· τὸ ζῆν ἀπὸ πολέμου καὶ ληϊστύος, κάλλιστον.* Verbo *persuaseris* modus infinitivus est adiunctus ex usu verbi *iubere.* Vid. Rothii grammaticas quaestiones V, etc. col. 27 sq. — *Piger* est natura ad laborem tardus, *iners*, in quo nihil artis et virtutis. Ita Heusinger. ad Cic. Offic. I, 9. p. 60. ubi coniunguntur *negligentia, pigritia* et *inertia.* — Verba *quin imo*, ut cap. 18. *quin etiam*, sunt postposita, pertinentque ad totam enuntiationem.

CAP. XV. *non multum venatibus — oderint quietem*] Verba *non multum* de tempore, ut cap. 22. *plurimum hiems occupat.* At cap. 29. *non multum ex ripa*, de loco. Passov. citat Schaefer. ad L. Bos. p. 347. — Quod de venando refert Tacitus, videtur repugnare his locis Caesaris: B. G. VI, 21. *vita Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit.* De Suevis B. G. IV, 1. *multum sunt in ve-*

ciboque, fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia: ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos 2 est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum quod pro honore ac-

nationibus. At non dissentiunt inter se hi scriptores. Taciti enim mens haec est: si tempus, quod Germani, bello cessante, quotidie venando consumunt, comparatur cum tempore, quod somno et cibo capiendo transigunt, illud parvum est. Cogitavit Tacitus de descriptione singulorum dierum, Caesar autem, de universi temporis usu cogitans, item vere dixit, Germanos multum fuisse in venationibus, ut qui quotidie temporis partem venando darent. Venabantur autem, ut haberent pelles quibus vestirentur, et feras quarum carnibus vescerentur. Conf. capp. 17. 23. — Ut hic *venatibus — per otium*, ita eadem orationis variatione, quam Ramshorn. gram. lat. p. 999. enallagen secundam appellat, cap. 40. *per obsequium — proeliis.* Agric. 9. *virtute aut per artem.* 31. *temeritate aut per ignaviam.* Annal. I, 2. *per acies aut proscriptione.* Haec Longolius. Plura collegerunt Wopkens. ad Annal. II, 70. in Tacito Oberlin. Tom. II. praef. p. XI. et Obbarius ad Horat. Sat. I, 4. 26. in Seebodii Archiv. an. 1825. p. 372. citatus ab Hessio in comment. I. — *Delegare* proprie in re pecuniaria dicitur is qui non ipse de arca solvit, sed creditorem remittit ad alium per attributionem, a quo pecuniam accipiat, quod et *solvere ab alio* dicitur, unde deinde ceterae rationes dicendi ducuntur, cum quod ipsi facere debebamus, id per alterum fieri curamus, et qui id a nobis petunt, ad alium reiicimus; unde et pro *transferre* dicitur. Ita Ernest. in Cl. Ciceron. Eodem verbo Tacitus utitur cap. 20. — *Infirmissimus quisque ex familia* intelligendi sunt soli liberi, non simul servi. *Ipsi* sunt heri, oppositi feminis, senibus, infirmissimo cuique; et *hebere* est torpere otio, nihil agere, unthätig seyn aus freiem Willen, nicht aus Mangel an Kraft. *Mira diversitate naturae* est ablativus absolutus.

ultro — conferre — frugum quod — subvenit] De re conf. Grimmii antiq. p. 245 sq. — *Ultro* est, non iussi. *Armentorum* et *frugum* sunt genitivi partitivi, ad quos supplendum *aliquid*, aut *id*, ut voluit iam Rhenanus in Castigatt. p. 425. cuius verba repetiit Hessius in Comment. I. p. 20. Item Beier. ad Cic. Off. I, §. 21. p. 49. *ex quo, quia suum*

ceptum etiam necessitatibus subvenit. gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis sed publice mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque. iam et pecuniam accipere docuimus.

cuiusque fit, eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat. In quo loco comma post *fit* esse ponendum, ut structura constet, praeclare vidit Wexius in programmate Gymnasii Ascaniensis. 1831. p. 11. Ramshorn. gram. lat. p. 305. intelligit *id.* — Ceterum recte monuit Güntherus, locum Horatii Sat. II, 8. 55. *trahentia pulveris atri quantum* — a nostro loco differre. Differunt item loci, qualis hic est: Hist. II, 55. *et a Flavio Sabino praefecto, quod erat in urbe militum, sacramento Vitellii adactum.* Et hic: Xenoph. Anab. III, 1. 19. διαθεώμενος αὐτῶν ὅσην μὲν χώραν καὶ οἵαν ἔχοιεν. de quo disputat Sommerus V. D. in krit. Bibl. 1828. no. 91. p. 728. Non esset Taciti loco similior alter quam hic Varronis de R. R. III, 16. 36. *si ex alvo minus frequentes evadunt ac subsidit aliqua pars, suffumigandum et prope apponendum bene olentium herbarum, maxime apiastrum et thymum:* si hic esset scriptura certa; nam Schneiderus post *apponendum* addidit *aliquid* ex Cresc., forsitan properantius. Apprime convenit ab Hessio laudatus locus Pausan. X, 14. λέγεται δὲ καὶ ὡς Θεμιστοκλῆς ἀφίκοιτο ἐς Δελφοὺς λαφύρων τῶν Μηδικῶν κομίζων τῷ Ἀπόλλωνι. — *Pro honore* est tamquam γέρας, als ein Ehrengeschenk.

quae non modo — docuimus] De usu particularum *non modo — sed* vide dicta ad cap. 10. Sallust. Cat. 18, 7. *iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabatur.* Conf. ibi Cort. — *Phalerae*, ornamenta equorum, *torques*, ornamenta colli, utraque sunt dona militaria. vid. Sueton. Aug. 25. — *Pecuniam accipere docuimus* dictum est cum acerbitate in imperatores Romanos, qui non semel de Germanis pacem pecunia redemerunt. Domitianus adeo Decebalo Dacorum regi, Marcomannis Quadisque tributum pendebat. Vid. Dio LXVII, 7. LXVIII, 9. conf. Passov. ad Germ. cap. 42. extr. De Alexandro Severo Herodianus VI, 7. πάντα τε ὑπισχνεῖτο παρέξειν ὅσων δέονται, καὶ χρημάτων ἀφειδῶς ἔχειν. τούτῳ γὰρ μάλιστα Γερμανοὶ πείθονται, φιλάργυροί τε ὄντες καὶ τὴν εἰρήνην ἀεὶ πρὸς Ῥωμαίους χρυσίου καπηλεύοντες. Beckerus Taciti verba intelligit de donata pecunia in universum, qua principum Germanorum amicitiam Romani sibi conciliaverint.

CAP. XVI. Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est; ne pati quidem inter se iunctas sedes. colunt discreti ac diversi, ut fons, ut

CAP. XVI. *nullas — urbes habitari — ut nemus placuit*] Haec qui legit, facile videt, ita tantummodo pro veris esse habenda, ut dicamus in Germania magna non fuisse ante Henricum aucupem urbes similes Romanorum urbibus magnitudine, pulcritudine et firmitate. Nam dubitari non licet Germanos iam mature habuisse multis locis tot aedificia iuxta se constructa et habitata, ut urbium vel oppidorum nomine appellari possent. Ita Caesar B. G. IV, 4. commemorat Menapiorum *aedificia vicosque* in utraque Rheni ripa; Ubiorum et Suevorum *oppida*, VI, 10. 19. Tacitus ipse Annal. I, 56. memorat *Mattium*, caput Mattiacorum. Habuit Maroboduus regiam. Conf. Ann. II, 62. Et credere licet etiam apud alias gentes quae regnabantur, fuisse regias. Conf. de hoc loco Beckerus, et quem Hessius citavit, F. C. H. Krusius in Archiv. für alte Geograph. Geschichte etc. Fasc. II. p. 1—59. De Britannis Caesar B. G. V, 21. *Oppidum Britanni vocant, cum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt, quo incursionis hostium vitandae caussa convenire consuerunt.* Strabo IV, p. 200. *πόλεις Βρεττανῶν εἰσὶν οἱ δρυμοί· περιφράξαντες γὰρ δένδρεσι καταβεβλημένοις εὐρυχωρῆ κύκλον καὶ αὐτοὶ ἐνταῦθα καλυβοποιοῦνται καὶ τὰ βοσκήματα κατασταθμεύουσιν οὐ πρὸς πολὺν χρόνον.* — Henricus auceps primus urbium per Germaniam conditor vocari potest, quatenus pristina castella firmavit et nova adversus Hungaros condidit. — Particulas *ne quidem* Güntherus monet, ubi ad totam enuntiationem pertineant, verbo addi. Nec possunt fere alio loco poni. Tamen legimus apud Ciceron. Tuscul. I, 23. 55. *ego vero facile sum passus, ne in mentem quidem mihi aliquid contra venire.* Conf. Ramshorn. gram. lat p. 884 sq. — De Maximini tempore Herodianus VII, 2. *εὐμαρέστατα τὸ πῦρ ἐπινέμεται τάς τε πόλεις αὐτῶν, ἃς ἔχουσι, καὶ τὰς οἰκείας ἁπάσας. λίθων μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς ἢ πλίνθων ὀπτῶν σπάνις, ὗλαι δ' εὔδενδροι· ὅθεν ξύλων οὔσης ἐκτενείας συμπηγνύντες αὐτὰ καὶ ἁρμόζοντες σκηνοποιοῦνται.* Cur iunctas inter se sedes passi non sint, declarat locus Hist. IV, 64. *postulamus a vobis, muros coloniae munimenta servitii detrahatis.* — *Colere* idem plane quod *incolere*, wohnen. Annal. II, 41. Sic iam Plautus Pseud. I, 2, 68. *huncecine hic hominem pati colere iuventutem Atticam.* — E consuetudine, quam hic Tacitus memorat, crebrae ortae sunt locorum appellationes a *bach*, *feld*, *holz*, *wald*, *born*, ut Anspach, Crefeld, Buchholz, Friedewald, Paderborn. Vid.

campus, ut nemus placuit. vicos locant non in nostrum morem, connexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus
2 casus ignis remedium sive inscitia aedificandi. ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. quaedam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac linea-

Cluver. Germ. ant. I, 7. 13. Barthii hist. Germ. T. II. p. 376 sq. De Gallis conf. Caes. B. G. VI, 30.

non in nostrum morem — imitetur] Sic cap. 6. *nec variare gyros in morem nostrum docentur.* Horat. Sat. II, 1. 63. *est Lucilius ausus primus in hunc operis componere carmina morem.* Ad quem locum Heindorfius a Passovio laudatus repetit locum Quintil. IV, 1. 43. *materias ipsi sibi fingunt et ad morem actionum persequuntur.* — Proxima verba *adversus casus ignis remedium* comparanda sunt cum locis quos congessi ad Annal. I, 3. adde Rothii grammaticas quaestiones V, e Tacito repetitas, col. 23 sq. in Seebodii Neu. Archiv. f. Philologie — 1830. Jan. estque *remedium* nominativus et *inscitia* ablativus, i. q. propter inscitiam. Ita mox *suffugium hiemi et receptaculum frugibus.* — *Caementa* (ex *caedimentum* a *caedendo*) sunt lapides caesi rudes et informes. Vid. Voss. Etym. s. v. Hor. Od. III, 1. 35. 24. 3. *Tegulae* sunt, Gesnero interprete, tabulae parvae figlini operis vel lapideae adeo, dictae, quod domos tegant. Dial. de orat. 20. *quid enim, si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur.* Auctor dialogi videtur hunc Taciti locum habuisse ante oculos, eoque non satis perite usus esse. — *Materia informis*, schlecht u. unvollkommen behauene Balken. Interiecta inter has trabes spatia luto explebantur, parietesque extrinsecus nonnihil exornabantur. Häuser von Fachwerk mit Lehmwänden. *Citra speciem aut delectationem*, i. e. ita ut nulla sit cura externae pulcritudinis quae delectet. Verba sunt accipienda per ἓν διὰ δυοῖν. De hoc praepositionis *citra* usu, frequenti illo apud scriptores argenteae aetatis, Hessius in comment. I. p. 21. laudat praeter Forcellinum Nolten. Lex. antibarb. T. I. p. 870. Bremium ad Suet. Caes. 28. Frotscher. ad Quintil. X. p. 199. De aedibus Germanorum Senec. de Provid. 4. *imbrem culmo aut fronde defendunt.* Strab. VII. p. 281. ed. Bas. ἀλλ' ἐν καλυβίοις οἰκεῖν, ἐφήμερον ἔχουσι παρασκευήν. Add. Herodian. VII,

**menta colorum imitetur. Solent et subterraneos spe- 8
cus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt: et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.**

CAP. XVII. Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac

2. Caes. B. G. VI, 22. — Quali terrae purae genere parietes illeverint, dici nequit. Denique *ut imitetur* est impersonaliter accipiendum, ut habeat picturae similitudinem, *dass es nachahmt.* Praeter necessitatem vir doctus in Ephem. lit. Jen. 1818. Nov., Hessio referente scribere voluit *imitentur.*

subterraneos specus — suffugium hiemi] *Specus* sunt, interprete Grotefendo, Keller, qualia receptacula Romani ignorabant, quorum cellaria erant solo aequalia, neque subterranea. Conf. de Afris Histor. B. Afr. 65. — Insuper i. q. superne. Vid. ad cap. 12. Liv. XXII, 2. *cumulatis in aquas sarcinis insuper incumbebant Galli.* — Cap. 46. est *ferarum imbriumque suffugium aut imbris aut solis.* Unde coniicias nostro loco *hiemis* esse scribendum. Sen. de ira I, 11. *suffugia adversus caeli rigorem.*

CAP. XVII. *tegumen omnibus sagum — artus exprimente*] Mela III, 3. *viri sagis velantur aut libris arborum quamvis saeva hieme.* Vid. dicta ad cap. 6. *Fibula*, velut *figibula*, quicquid stringit ac connectit. Ea utebantur beatiores, pauperes *spina*, ut Achaemenides Virgilii Aen. III, 594. *consertum tegumen spinis.* Verbum *agunt* absolute est positum ut cap. 19. neque cum accusativo *totos dies* coniungendum. Foris igitur Germani utebantur *sago*, domi nudi, certe sago non tecti degebant. Haec est mens Taciti. *Cetera* i. q. ceterum, pertinet ad totam enuntiationem. — *Fluitans* vestis est eadem, quae *fluida* ap. Iustin. XLI, 2. was seinem Wesen nach u. von Natur los u. locker ist und keinen rechten Halt hat. Vid. Doederlin. Synonym. II. p. 20 sq. Catull. LXIV, 68. *neque tum fluitantis amictus illa vicem curans.* De *Sarmatis* Lucan. I, 430. *et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis Vangiones.* Mela III, 4. *gens habitu armisque Parthicae proxima.* De *Parthis* Iustin. XLI, 2. *vestis olim sui moris: posteaquam*

2 **Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior Ocea-**

accessere opes, ut Medis pellucida ac fluida. — Vestis *artus exprimens* est quae tam arte artus includit, ut emineant eorumque lineamenta et forma appareant. Suntque haec verba de omni vestitu, non solis braccis accipienda.

gerunt et ferarum pelles — mare gignit] Intellige pelles ursorum, taurorum, cervorum, luporum, aprorum. Caes. B. G. VI, 21. *pellibus aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Virg. Georg. III, 383. *et pecudum fulvis velatur corpora saetis.* — „*Proximi ripae* (Rheno Danubioque) *negligenter* pellibus se tegunt. quare? quia cultum et meliores iam vestes habent a Romanis aut provincialibus commerciorum beneficio. *Ulteriores* autem sive interiores ac septentrionales Germani maiore in pretio pelliceas vestes habent, iisque vestiuntur *exquisitius* et elegantius. quare? causa simili: quia carent aliis vestimentorum generibus nec ea importantur aliunde, nullo cum exteris intercedente commerciorum usu.“ *Bernegg.* De Scythis Seneca Epist. 90. p. 362. ed. Bip. *non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium, quae tactu mollia et impenetrabilia ventis sunt?* Iustin. II, 2. *lanae iis usus ac vestium ignotus, pellibus tantum ferinis aut murinis vestiuntur.* Vocabulum *cultus* significat omnis generis res exquisitiores melioresque per artem effectas. Ita cap. 6. *nulla cultus iactatio.* — Dictio *velamina spargunt maculis pellibusque* est poetica. *Maculas pellesque belluarum* recte Passovius interpretatur *maculas e belluarum pellibus confectas.* Atque sic etiam Brotierius: *e diversarum belluarum pellibus diversas lacinias adsuebant, ut maior esset varietas.* Berneggerus: „Pilos Germanicarum pellicearum antiquitus non introrsum, ut nobis, sed extrorsum fuisse conversos, coniicio etiam hinc, quia maculis eos sparserunt seu frustulis aliarum pellium versicoloribus distinxerunt, conciliandae pulcritudini, quae nulla, si introrsum versa.“ *Spargunt*, i. e. distinguunt, variant. Virg. Ecl. II, 41. *capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo.* Liv. XLI, 21. *Caerites anguem in oppido suo iubatum, aureis maculis sparsum, apparuisse affirmabant.* — *Quas gignit Oceanus*, h. e. terrae quas Oceanus alluit, haeque belluae videntur esse lutrae, mustelae erminiae et zibellinae. Ceterum

nus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis 8
quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos. sed et proxima pars pectoris patet.

CAP. XVIII. Quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine sed ob no-

non videntur *exterior Oceanus* et *ignotum mare* subtiliter esse distinguenda. Significatur omne mare extra orbem Romanum, quod terras Germanorum alluit.

nec alius feminis habitus — pectoris patet] *Habitus* h. l. est vestitus. Cum Tacitus dicat *feminas saepius* quam viros *lineis amictibus velari*, inde intelligitur etiam viros nonnunquam tali amictu usos esse, forsitan lineis feminalibus (Hosen) et camisiis (Jacken, Wämmser). Plin. H. N. XXX, 2. *vela texunt iam quidem et transrhenani hostes, nec pulcriorem aliam vestem eorum feminae novere.* — *Purpura* qua amictus variarunt, aut per mercatores ad Germanos est importata, aut, quod est probabilius, cum nihil fere commercii cum exteris nationibus Germani haberent, vocabulum purpurae universe accipiendum est de rubro colore e plantis floribusque expresso. Conf. Plin. H. N. XVI, 18. XXI, 26. Vitruv. VII, 14. quos locos Hessius citat. — *Manica* h. l. non est chirotheca, sed quod nos dicimus *Aermel*. Virgil. Aen. IX, 616. *et tunicae manicas et habent redimicula mitrae:* quem locum citat Gell. 7, 12. Add. Boettiger. Sabina, II. p. 319. — *Brachium* dicitur a manu usque ad cubitum, *lacertus* a cubito ad humerum. Ovid. Met. I, 500. *laudat digitosque manusque brachiaque et nudos media plus parte lacertos.* Conf. Cuperi obss. p. 475.

CAP. XVIII. *quamquam severa — ambiuntur*] Recte faciunt meo quidem iudicio, qui capitis initium faciunt a verbo *quamquam*, quod ut graecum *καί τοι* saepe significat *sed tamen*, et h. l. simul transitum facit ad ea quae in matrimoniis Germanorum sunt memorabilia; neque obscure tangitur Romanarum feminarum lascivia in vestitu et nequitia in coniugio maritali. Recte igitur Iacobsius in Clio p. 225. „quamquam eorum mulieres sibi in amictus varietate et ornatu nonnihil indulgent, *severa* tamen apud eos matrimonia."

bilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. intersunt parentes et 2 propinqui ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitran-

De Romanorum libidine conf. Horat. Od. III, 6. Sat. I, 2. Iuvenal. VI. Bekkerus post *patet* commate interpunxit. — Ad verba *qui non libidine* ex antecedentibus assume *singulis uxoribus contenti sunt*, sive plures uxores habent, *sed* propterea quod *ob nobilitatem* h. e. quia nobili genere sunt conspicui, a plurimis parentibus adeuntur blandisque verbis expugnantur, ut filias eorum in matrimonium ducant. Locutio petita est ex Virgil. Aen. VII, 333. *Latinum ambire connubiis.* Sunt *nuptiae* Heirathsanträge, ut apud Virgilium *connubia.* — Ariovistus duas uxores habuit. Caes. I, 53. Bene de Taciti loco disputat Selling. p. 14.

dotem non uxor marito — aliquid viro affert] Codd. Bamb. et Arund. omisso vocab. *marito* ita: *dotem non uxor, sed uxori maritus offert.* Quod Bredovio magis ex ingenio Taciti esse videtur: hoc ego viri iudicium probo. Cum *dos* offertur, intersunt parentes ac propinqui, qui munera *probant*, i. e. examinant. Non duplex h. l. memoratur munerum genus, quorum alterum pertineat ad *muliebres delicias*, h. e. ad mulierum voluptatem, qualia sunt pretiosa suppellex, alterum pertineat ad ornatum, qualia sunt monilia, armillae et similia ornamenta exquisitiora; sed omnia sunt ad unum genus referenda locusque est ex eorum genere, in quibus synonyma vinculo particulae negativae consociantur, quia ipsa enuntiatio est negativa. *In haec munera*, i. e. his muneribus examinatis et approbatis. Etiam apud Romanos uxor marito dotem offerebat; vid. Heineccii Antiqq. II, 8. item apud Athenienses; vid. Nitschii descript. status Graeciae. T. IV. p. 504. De Germanis conf. Grimmii antiqq. germ. iur. p. 423 sq.

hoc maximum vinculum — referantur] Similis est orationis conformatio cap. 13. *haec apud illos toga*, *hic primus iuventae honos;* utque ibi Tacitus respicit ad instituta Romana, ita etiam hic ad matrimonium per confarreationem iunctum; de quo vid. Adami antiqq. Rom. p. 844 sqq. — *Arcana sacra* sunt referenda ad communionem sacrorum, ad quae uxor,

tur. ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque 3
bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque. hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc

postquam per *confarreationem* in manum mariti convenerat, sacris paternis absoluta, admittebatur. Vid. Heinecc. Antiqq. Rom. I, 10. — *Coniugales deos* enumerat Augustin. C. D. VI, 9. Iovem, Iunonem, Venerem, Iugatinum, Thalassium, Hymenaeum, Dianam, Domiducum, Manturnam etc. — *Ne se mulier — putet*, i. e. ne mulier putet, ad se non pertinere, de virtutibus colendis cogitare, eas esse solorum virorum. Eadem brevitate hic dicitur *ne se putet extra cogitationes* etc. ut cap. 9. *ex magnitudine caelestium arbitrantur*. Hexametrum habemus: *bellorum casus putet, ipsis incipientis*. Sic cap. 32. *praecellunt, nec maior apud Chattos peditum laus*. cap. 39. *auguriis patrum et prisca formidine sacrum*. Demosth. de cor. 47. τὸν γὰρ ἐν Ἀμφίσσῃ πόλεμον δι' ὃν εἰς Ἐλάτειαν ἦλθε Φίλιππος. Philip. I, 2. καὶ προσέχειν τὸν νοῦν τούτοις ἐθέλουσιν ἅπαντες. Nubes talium versuum collecta est in libro: Paedagog. u. litterar. Mittheilung. von *Matthias*. Magdeburg. Fasc. 3. p. 82. — *Vox auspicia* non simpliciter denotat *principia*, sed adiunctam habet notionem inaugurationis, ut saepe *initia*: die Einweihungsgebräuche beim Beginn der Ehe. Non prorsus dissimilis vocabuli usus est apud Iustin. 26, 2. *auspicia belli a parricidio incipientes*. 27, 1. *auspicia regni a parricidio coepit*. De ipsa re conf capp. 7. 8. et quae de Cimbris narrat Florus III, 3, 16 sq. — Mox unice aptum est *denuntiant*: nam *renuntiare* tantummodo locum habet, quando quis, postquam aliquid est sciscitatus, nuntium accipit, aut simpliciter, quando nuntius affertur. *sic vivendum, sic pereundum*, ut occultus munerum nuptialium sensus exigat. Grimmio (Deutsche Rechts-Alterthümer, p. 427 sq.) Taciti interpretatio artificiosior videtur, vera videtur Weiskio p. 250. — Ultima verba interpretum ingenia valde exercuerunt. Editiones veteres, quas Passovius inspexit, locum ita exhibent: *digna reddat, quae nurus accipiant rursus, quae ad nepotes referantur*. Thiersch. Act. Phil. Mon. T. III. fasc. 3. p. 464. et Hessius comma ponunt post *accipiant*. Nos obtemperavimus. — De vocabulo *digna* assentior Passovio, cui est persuasissimum *digna* referendum esse ad verba *quae accipiant*, nec aliud voluisse Nic. Heinsium, cum transponeret verba: *quae liberis inviolata reddat ac digna, quae*

data arma denuntiant. sic vivendum, sic pereundum: accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referant.

etc. sed etiam hac emendatione supersederi posse, cum saepissime inseratur verbum inter adiectivum et pronomen relativum. Scriptura igitur recepta tantam habet auctoritatem, ut ante omnia sit quaerendum, an et quomodo possit intelligi. Hoc praemitto, vocabulum *dignus*, etiam ubi non significet *meritus*, absolute poni, monstrare dialog. de orat. c. 9: *adiice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint*, etc. At in Taciti loco adiectivum *dignus* non est absolute positum, sed haud dubie coniungendum cum pronomine *quae*. Quod nisi facimus, proximae enuntiationes plane abruptae sunt et languent. Contra si structura sic instituitur *reddat digna quae accipiant* etc. omnis oratio recte et facile procedit, omnibus sua constat vis. Et quantum sibi Tacitus in verborum collocatione permiserit, demonstrant exempla ad Annal I, 26. a me allata. Neque concinnum est, ut verba *quae nurus accipiant* ita subiiciantur, ut structura non suspensa sint ex antecedentibus, quoniam ea nurus accipiunt per liberos, i. e. filios, hisque eadem a matribus hac lege redduntur, ut nuribus tradantur. Porro *rursus* non potest coniungi cum *accipiant:* nam *rursus* habet vim iterationis, quae in hac enuntiatione non inest, inest autem in verbis *quae referantur*. Attamen duriusculum est in ultimis asyndeton, quae durities tollitur, si scribitur *et rursus quae* etc. potuitque particula *et* post *accipiant* facile excidere; eademque durities item tollitur, si Sellingius hoc obtinuerit, genuinam lectionem esse *rursusque ad nepotes referantur*, et Taciti brevitatem hoc ferre, ut pronomen *quae* ad ultima casu nominativo assumatur, cum praecedat casu quarto. Hanc rationem adiuvant hi loci a Sellingio allati: Sallust. Cat. 54. *ita quominus gloriam petebat, eo magis sequebatur*, scil. gloria. Iug. 14, 16. *Si omnia quae aut amisi, aut ex necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent.* 101, 5. *Bocchus cum peditibus, quos Volux filius eius adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant.* Idem vir doctus citat Herman. ad Viger. p. 707. Ramshorn. gram. lat. p. 1001. ed. 2. Ruddim. II. p. 27. ed. Stallb. Ceterum sponte patet, non ipsa munera sic potuisse tradi servarique, certe non potuisse boves et equos. Quare dicendum, Tacitum tantummodo de sensu per illa munera significato cogitasse.

CAP. XIX. Ergo septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. litterarum secreta viri pariter ac fe-

CAP. XIX. *ergo septa pudicitia — ignorant*] Prima, ut recte Emmerling. p. 24. monuit, cohaerent cum verbis cap. 18. *nec ullam morum partem magis laudaveris*; resumitque et amplificat particula *ergo* orationem interruptam. Ita cap. 22. *ergo detecta — mens — retractatur.* cap. 45. *ergo iam dextro Suevici maris littore —*. Cic. Tusc. I, 7. 14. *id ergo est pronuntiatum.* — Unice probo lectionem *septa*, quam etiam Bekkerus in edit. 1825. retinuit. Recte quidem apud Livium III, 44. *postquam omnia pudore septa animadverterat*; at *pudor*, qui pertinet ad animum, non idem est quod *pudicitia*, quae pertinet ad corpus. Pudor efficit pudicitiam; et *septa* mulierum *pudicitia* rectissime dicitur, i. e. munita et quidem publicis Germanorum institutis feminarumque moribus, quorum illa instituta sunt caussa. — De *spectaculis* Senec. ep. 7. *nihil vero est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt.* De *conviviis* Horat. Od. III, 6. 27. *mox iuniores quaerit adulteros inter mariti vina.* Sen. ep. 95. In proximo loco *litterarum secreta — ignorant* expediendo omnium optime Adelungius (Aelteste Geschichte der Deutschen, p. 373 sqq.) versatus est, quem cum Diltheio sequimur. Hoc igitur dubium non est, Germanis et usum scribendi et omnem litterarum cognitionem defuisse, id Tacitum non ita inter reliqua potuisse commemorare, ut haec commemoratio ad illam ipsam rem, de qua cum maxime agitur, plane non pertineret. Deinde is est orationis tenor, ut facile appareat, tria Tacitum voluisse afferre, quibus Romanarum mulierum mores corrumperentur, non corrumperentur Germanicarum, spectacula, convivia, litteras. Iam si quaeritur, quale litterarum genus hanc corrumpendi vim habeat; non solae litterae amatoriae, sed quodvis librorum genus nominandum est, quibus lasciva argumenta tractantur, maxime carmina, qualibus Romanus tum orbis abundabat. Tacitus igitur hoc vult, Germanos non habuisse litterarum cognitionem, quibus mulieres ad nequitiam inducerentur. Nam feminis Romanis, ut recte Colerus, litterae ad nequitiam magistrae. Et quae libris continentur, ea e mente Germanorum, qui non intelligunt, *secreta* appellat. Quod ad solum usum scribendi attinet, fuerunt sane inter Germanos non pauci, qui hanc artem callerent, quamquam vulgo usurpata non est. De Nerviis conf. Caes. B. G.

minae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum poena praesens et maritis per-
2 missa. accisis crinibus, nudatam, coram propinquis, expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit. publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit.
3 nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et cor-

V, 48. De Maroboduo Tacit. Ann. II, 63. de Adgandestrio ibid. c. 88.

paucissima — adulteria — saeculum vocatur] Apud Romanos contra frequentissima fuerunt adulteria, cuius mali tollendi caussa sub Augusto lata est a. 737. *lex Iulia de coercendis adulteriis.* Conf. Bachii histor. iurispr. Rom. pag. 320. *Numerosam* fuisse *gentem* Germanorum, intelligitur ex iis, quae de Suevis tradit Caesar. B. G. IV, 1. Diltheius citat Barths Urgeschichte etc. §. 585. Add. Forum der Kritik von Wachter I. Bd. 2. Abth. p. 88. Poena *praesens* est, quae e vestigio exigitur, augenblickliche. *Maritis* erat *permissa*; nam ut ait Caesar B. G. VI, 19. *viri in uxores sicut in liberos vitae necisque habent potestatem.* Habitum enim est adulterium pro delicto in familiam, non in rempubl. admisso; quare eius poena non iudicibus extra familiam mandata erat, sed marito permissa. Add. Grimm. l. c. p. 450. *Accisis crinibus.* Bonifacius in Epist. 19. ad Ethelbaldum Angliae regem: *In antiqua Saxonia, ubi nulla Christi cognitio, si virgo in materna domo vel maritata sub coniuge sit adulterata, manu propria strangulatam cremant, aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant eam castae matronae et de villa in villam missae occurrunt novae flagellantes et cultellis pungunt, donec interimant.* Item in Liutprand. legibus Longobard. II, 17. iubetur, *adulteras decalvari et fustigari per vicinantes ipsius loci.* Crinium abscissionem maxime ignominiosam habitam esse docet Eccardus Leg. Francor. p. 202. 244. crines enim Germanis in laude erant. Conf. Moneius T. II. p. 21. 180. 186. — Proxima verba de solis virginibus innuptis sunt accipienda, ad quas ab adulteris progreditur oratio. Neque est quod pro *enim* scribatur *etiam*, aut coniunctim *enim etiam.* Supplenda est talis fere sententia: *neque id mirum.* — Porro *invenit* magis mihi aptum videtur quam *invenerit.* Coniunctivus hanc vim habet, rem esse non omnino certam. At quis credet, non fuisse inter Germanos virgines publicata pudicitia? — Lex Burgund. C. 44. *si qua Burgundionis ingenui filia, prius-*

rumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur. sic unum acci- 4
piunt maritum quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum sed tamquam matrimonium

quam marito tradatur, cuicunque seu Barbaro seu Romano occulte adulterii se foeditate coniunxerit — facinoris sui dehonestata flagitio amissi pudoris sustinebit infamiam. Ibid. c. 35. *si ingenua puella voluntarie se servo coniunxerit, utrumque iubemus occidi.* Lex Visigoth. lib. III. 2, 2. *si mulier ingenua servo suo vel proprio liberto se in adulterio commiscuerit — adulter et adultera ante iudicem publice fustigentur et ignibus concrementur.* — Vocabulum *saeculum* h. l. denotat indolem et mores hominum tempore quodam viventium, Mode, Zeitgeist. Ita etiam in loco Martial. 9, 28. *cum theatris saeculoque rixaris.* Apud Livium III, 20. *sed nondum haec quae nunc tenent saeculum, negligentia deum venerat;* hoc vocabulum significat homines una viventes, praesertim in quantum mores et studia illorum vituperamus. De re convenit locus Sen. epist. 39. *Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent: et desinit esse remedio locus, ubi quae fuerant vitia, mores sunt.* — Uti hic *corrumpere* et *corrumpi* coniunguntur, sic Annal. XIV, 20. *quod usque corrumpere et corrumpi queat.* III, 54. *corruptus simul et corruptor — animus.* Germ. 38. *ament amenturve.*

melius — adhuc eae civitates — matrimonium ament] Ad *melius* intellige *vivunt*, *agunt*. De qua elliptica dicendi ratione conf. Walch. ad Tac. Agric. p. 263. Add. Ramshorn. gram. lat. p. 983 sq. Frotscher ad Quintil. X. p. 154. Vox *adhuc* aptius cum Bredovio intelligitur de tempore, *ad hoc usque tempus*, quam cum comparativo *melius* coniungitur; quamquam apud huius aetatis scriptores *adhuc* saepius pro *etiam* comparativo adiungitur. Conf. Frotscher. ad Quintil. X. p. 90. Ceterum Tacitus hic non facit discrimen civitatum Germanicarum, quarum apud alteras hoc quod memoratur, valuerit, apud alteras non valuerit; immo cogitat scriptor de Romanis, apud quos omnia erant contraria. Sic locum intellexit etiam Wachter. in libro: Forum der Kritik. I. Bd. 2. Abth. p. 21 sq. — Locutio *cum spe — transigitur* sumpta est a creditoribus, cum quibus transigere dicuntur, qui cum iis paciscuntur, decidunt (die mit ihnen abschliessen).

ament. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur; plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.

Igitur sic est apud Germanos institutum, ut omnis uxoris spes, omnia vota unis nuptiis finiantur, cum secundae non concedantur. *Ne ulla cogitatio sit ultra* scil. primum maritum. Item *cupiditas longior* est, quae ultra primum maritum excurrit. Add. Grimm. l. c. p. 453. — Proxima Grotius ita transponit: *ne tanquam matrimonium, sed tanquam maritum ament.* Et haec addit: „Interdictae erant apud quosdam Germanos regulos secundae nuptiae, ut discerent mulieres coniugium amare coniugis caussa, non coniugem coniugii caussa, sive ut personae, non rei affectus manciparetur.“ At vulgatus verborum ordo non est mutandus; quamquam Tacitus Germanorum sensui aliquid tribuit, quod profecto ab illo alienissimum fuit. Dicit ne ament *tamquam maritum;* hunc enim amare possunt mulieres, quando primo mortuo habent alterum, et hoc mortuo, quando tertium; sed *tamquam matrimonium*, quod plene cumulateque perficitur in uno marito, etsi primo marito mortuo alteri nubere non licet. Porro non dicit *ne tam maritum, quam matrimonium ament* (quod reddit quodammodo Gutmanni versio: *auf dass nicht Liebe zum Ehemanne mehr als zum Ehebunde sie beseele*), sed *tamquam:* quoniam res ipsa talis est, quae non possit certa et definita intellectus notione comprehendi, sed quam modo sensus obscurius monstret. Ceterum haud improbabilis est Emmerlingii sententia, secundi voti odium inde ortum videri, quod feminae quasi pro peculio maritorum haberentur, ut si quae viro mortuo alii se traderent, aeque iniuste agere viderentur, ac si quis alterum rebus rite partis defraudaret. Idem etiam monuit, cum Germani putarent, quemvis consueta atque hic acta negotia etiam post mortem tractare, fieri potuisse, ut praeter arma, equos, interdum adeo servos, quos in tumulo comburerent, etiam uxore opus esse mortuo censerent.

numerum liberorum finire — bonae leges] I. e., ut recte interpretantur Gebauerus p. 277. et Emmerling. p. 17., *num et quot liberos velis procreare;* quod fiebat etiam abortus procuratione. (Pichena citat Lipsium epist. 85. Cent. 10. ad Belgas.) De hoc flagitio Legg. Visigoth. L. VI. Tit. III. leg. 1. *si quis mulieri praegnanti potionem ad avorsum aut pro necando infante dederit, occidatur: et mulier, quae potionem ad avorsum facere quaesivit, si ancilla est, CC flagella suscipiat, si ingenua, careat dignitate personae, et*

CAP. XX. In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. dominum ac servum 2
nullis educationis deliciis dignoscas: inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet

dui iusserimus, servitura tradatur. L. VI. Tit. III. l. 7. *Nihil est eorum pravitate deterius, qui pietatis immemores filiorum suorum necatores existunt. iudex eos publica morte condemnet.* De matronis Romanis conf. Iuvenal. VI, 594 sqq. — *Agnatos* recte Gesnerus interpretatur eos, *qui post familiam constitutam, ubi heres iam est, deinde nascuntur.* Conf. Perizon. ad Melam I, 8. 37. De Iudaeis Tacitus Hist. V, 5. *necare quemquam ex agnatis nefas.* Conf. Boetticheri Lexic. Tac. s. v. — *Bonae* huiusmodi leges apud Romanos fuerunt *Lex Iulia de adulteriis coercendis*, lata 737. et *Lex Iulia de maritandis ordinibus* s. *Papia Poppaea*, lata a. 762. Hess. in com. I. p. 24. laudat: Hüllmann, Staatsrecht d. Altherthums. p. 354.

CAP. XX. *nudi ac sordidi — virtus agnoscat*] Sen. de benef. V, 13. *qui male vestitum et pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.* Ad vestitum item referendum esse adiectivum *sordidi*, inde apparet, quod cum et statim e somno (cap. 22.) et saepius in fluminibus lavarentur, corpus non facile sordes colligere poterat. — De Germanorum immani corporum magnitudine conf. German. c. 4. Mel. III, 3. Strab. VII, init. Caes. B. G. I, 39. IV, 1. — Apud Romanos infantes nutricibus ad alendum committebantur. De orat. dial. 29. *nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae.* Add. disputationem Favorini apud Gellium XII, 1. — *Uber* etiam hominis est. Sic Virg. Aen. VI, 426. *infantes — ab ubere raptos.* — De verbo *delegandi* vid. ad cap. 15. — *Delicias educationis* appellat, quicquid in educatione liberorum per artem instituitur exquisitius et a naturae simplicitate recedens, adiuncta mollitiae notione. — *Aetas ingenuos separat*, cum in concilio ornantur scuto frameaque. Gronovius (Obss. I, 6. p. 45.) hunc locum in iis affert, ubi quicquid occasionem, materiem caussamque aliquam praebet, ut quid fiat, idem efficere dicitur: quare explicat *donec faciat ut separentur, faciat ut agnoscantur.* Usum verbi *agnoscendi* Acidalius illustrat his locis: Plin. ep. V, 17. *mireque cupio, ne nobiles nostri nihil in domibus suis pulcrum nisi imagines habeant: quae nunc mihi hos adolescentes tacite lau-*

ingenuos, virtus agnoscat. Sera iuvenum Venus, eo-
3 que inexhausta pubertas. nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas, pares validaeque

dare, adhortari et, quod amborum gloriae satis magnum est, agnoscere videntur. Sen. ep. 120. *effice ut possis laudari, si minus, ut agnosci.* Apposite comparatur Theodorici dictum apud Cassiod. Variar. ep. I, 38. *Gothis legitimam aetatem virtus facit.*

sera iuvenum Venus — miscentur] *Venus* h. l. concubitus, et *pubertas* facultas generandi sive vigor corporis, ut interpretatur Morus ad Caes. B. G. VI, 21. *qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali hoc vires nervosque confirmari putant. intra annum vero vicesimum feminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus.* Pompon. Mela III, 3. *longissima apud eos pueritia est.* — *Nec virgines festinantur*, i. e. Gesnero interprete, *nec cito ad coniugium abripiuntur.* Nos similiter: auch mit den Jungfrauen eilt man nicht. Taciti phrasis, per se sola non omnino evidens, quam sententiam contineat, ex iis demum quae subiiciuntur cognoscitur. *Festinari* autem, quod proprie tantum de rebus factisque potest usurpari, hoc loco *virgines* dicuntur, quod scriptor in animo habet virginum nuptias, quae festinari proprie dici possunt. Conf. Rothii grammaticas quaestiones V, e Tacito repetitas, col. 27 sq. Tacito obversatum est *festinanter collocantur.* De reliquis aliter sentio, atque Passovius. Is enim post *proceritas* ponit colon, Tacitumque ait hoc dicere, in eadem qua pueros educatione iuvenili ad eandem proceritatem virgines pervenisse, et verba *eadem iuventa, similis proceritas* ad tempus nuptiarum non debere referri. At, cum verba *nec virgines festinantur* haud dubie ad nuptias pertineant, parum elegans esset, si inceptus de nuptiis sermo paucis verbis ad omnem puellarum educationem spectantibus interrumperetur, citoque tum ad id quod erat institutum, recurreretur. De toto igitur loco sic statuo: cum Tacitus hoc exprimere vellet, virgines, quando nuberent, eadem esse iuventa, simili proceritate, parique robore cum iuvenibus, illas primas notiones scriptor, ut est verborum abstractorum amans, tamquam liberas et per se valentes pronunciavit, iisque forma orationis immutata verba concreta *pares validaeque* adiungit, et haec omnia ad solas virginum nuptias sunt referenda, recteque Acidalius τελείαν στιγμὴν post vocem *proceritas*, quam retinet etiam Bekkerus in utraque editione, sustulit, recteque item Passovius pro *validi*

miscentur, ac robora parentum liberi referunt. So- 4
rorum filiis idem apud avunculum qui ad patrem honor. quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et in animum firmius et do-

restituit *validae.* Verte: dieselbe Jugend, ähnliche Hochgestalt, gleiche und starke gatten sich. Eodem modo etiam Gutmannus locum intellexit, cum vertit: auch die Jungfrauen werden nicht übereilt. Gleich an Jugend, ähnlich an Hochgestalt gatten sich Starke mit Starken. Liutprandi Legg. Lib. II. §. 6. *si quis puellam ante annos XII sponsaverit aut tulerit, tum ille eam; qui tulerit aut sponsaverit, componat, sicut edictum de raptu continet, id est DCCCC solidos, medium regi et medium eidem infantulae, et ipsa revertatur in casam et in pecuniam suam et sit quieta usque ad iustum tempus.* Caroli M. Legg. §. 145. *nullus praesumet ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare in dissimili aetate, sed coaetaneos et sibi consentientes.*

sororum filiis — teneant] Gebauer. de iure success. vet. Germ. p. 542. *honos est iste in familia gradus et locus, quem liberi in domo et apud patrem tenent, et quem iidem ut sororum liberi etiam apud avunculum more patris sibi vindicabant.* Et p. 547. *soror fratri post fata patris filiae erat loco, patre naturali tutore defuncto filius in legitimam suae sororis perpetuamque tutelam succedebat. frater ita sorori cum virgini in omni officiorum genere, tum nuptae, quoties erat opus, ope et consilio aderat.* Scripturam *ad patrem*, quae est in omnibus edd. vett., quamque primus Rhenanus in *apud patrem* mutavit, recte restituit Passovius. Ita Hist. II. 99. Lipsius pro *apud Vitellium* scripsit *ad Vitell.* — Ad verbum *exigunt* e verbis praegressis *hunc nexum sanguinis* intellige *sororum filios.* Deinceps restitui omnium fere edd. vett. et codd. scripturam *tamquam et in animum;* i. e. quod attinet ad animum. Ita Sen. ep. 99. p. 15. Bip. *nisi aleam in damnum certiorem.* De peculiari usu praepos. *in* cum accus. apud Tacit. conf. Walch. ad Agric. p. 355. — Recepta scriptura *tamquam ii et animum* est Rhenani correctio. At *ii* quinam sunt? Istine qui obsides accipiunt, an filii sororis? At hi non possunt dici firmius tenere animum. Ergo isti sunt intelligendi. At tum putida est immissio pronominis *ii.* Omnis loci sententia haec est: tamquam ii qui sororis filios pro obsidibus exigunt, in

mum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi; et nullum testamentum. si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia.

his obsidibus animos eorum qui obsides dant, ad pacta facienda firmius obligatas teneant, haecque obligatio ad maiorem familiae partem pertineat.

heredes tamen — orbitatis pretia] De Germanorum iure hereditatis conf. Grimm. l. c. p. 467 sqq. „Die Deutschen stellten im Mittelalter die Verwandschaftsvergliederung am menschlichen Körper so dar, dass sie an die vom Haupte entfernten Glieder die entfernten Verwandten setzten, und so daher die letzten Erbfähigen auf die Nägel der Finger, als die äussersten Glieder, wovon sie den Namen *Nagelfreunde* führen. Eben aus diesem Grunde nannte man Verwandte überhaupt *Magen*. Das Schwert deutete auf die väterliche, die Spindel auf die mütterliche Seite; daher *Schwertmagen* männliche Verwandte von väterlicher Seite, *Spillmagen* männliche Verwandte auf mütterlicher Seite." Weiske, p. 270. Grimm. l. c. p. 163. — *Testamenta*, qualia erant Romanorum, condi non possunt nisi apud gentes, quae scripturae usum habent; eaque postero tempore Alamanni, Burgundiones, Gothi, Franci a Romanis asciverunt. Vid. Barthii hist. germ. T. II. p. 355 sq. — *sui cuique liberi* et filii et filiae, hae quidem, si filii non essent. Nam filias non exclusas fuisse ab hereditate, inde colligitur, quod cap. 19. virginum *opes* memorantur. Post liberos videtur Tacitus omisisse nepotes. Post fratres autem successores videntur fuisse patrui, atque si hi deessent, avunculi. — Noltenius vocabula ita distinguit: „*Affines* sunt mariti et uxoris cognati, dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur et altera ad alterius cognationis finem accedit, ut cognati uxoris sint affines mariti, ac mariti cognati affines uxoris: *propinqui* dicuntur, inter quos aliqua sanguinis coniunctio est; *cognati* sunt, qui per feminas coniunguntur; *agnati*, qui per genitorem." *Gratiosus*, qui gratia abundat, in Gunst stehend, beliebt. — *Nec ulla orbitatis pretia* und keine Vortheile gewährt Kinderlosigkeit. *Pretia* i. q. praemia. Respiciunt haec mores Romanorum, quales iam ante Taciti tempora erant. Cum matrimonii odium apud Romanos invaluisset, isti matrimonii osores omni se modo,

CAP. XXI. Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. nec implacabiles durant: luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.

fraudibus officiisque in gratiam senum orborum insinuabant, ut ab iis heredes in testamentis scriberentur. Id multi veterum scriptorum loci testantur. Ita Cic. Paradox. V, 2. 39. *hereditatis spes quid iniquitatis in serviendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non observat?* Sen. Consol. ad Marc. 19. *in civitate nostra plus gratiae orbitas confert, quam eripit.* Conf. Dilth. ad Tacit. et Heindorf. ad Horat. Sat. II, 5. p. 356 sq.

CAP. XXI. *suscipere tam inimicitias — iuxta libertatem*] Has inimicitias Liutprandus Legg. Lib. VI. 82. *Faydas* (Fehden) appellat. Apud quascunque gentes respublica ita est constituta, ut ex familiarum cognationibus coaluerit, ibi hoc videmus invaluisse, ut ab universis familiis inimicitiae susciperentur atque hereditate ad successores transmitterentur. *Implacabiles non durabant;* nam de iis componendis inter convivia deliberabant (cap. 22.). Furta, latrocinia, vulnera, caedes ad eos solos, in quos admissa erant, non ad omnem civitatem pertinere putabantur. Si pretio soluto iis qui laesi fuerant, satisfactum erat, postero tempore *compositio* dicebatur, solutumque pretium *widrigild, guidrigild*, i. e. recompensatio, Wiedervergeltung. Conf. Grimm. p. 652. „De pretio (*widrigild*) hominis occisi singulis fere paginis agunt Leges Barbarorum, v. c. Guta — Lagh. c. XV, 1. *eynes göthnischen mannes busse ist III marc goldes, ab her getötet wirt. Al der anderen manne busse wirt gebüsset myt X marc silbirs. Eynes drelles (Servi) busse ist IV½ pfenng.*" Orell. — Lucan. I, 458 sqq. *populi, quos despicit Arctos, Felices errore suo, quos ille timorum Maximus haud urguet, leti metus. inde ruendi In ferrum mens prona viris, animaeque capaces Mortis: et ignavum rediturae parcere vitae.* Haec si vere dixit Lucanus, minorem ad Germanorum animos vim habuit capitis poena, quam iactura pecorum, quae gratissimae eorum essent opes (cap. 12.). — *Armenta*, einzelne Stücke Pflugvieh, Rinder. Varro R. R. 2, 5. 7. *qui gregem armentorum emere vult*; — *pecora*, einzelne Stücke kleineres Vieh, Schaafe. Conf. ad cap. 12. Pro *satisfactione* scriptores posteri aevi plerumque utuntur no-

2 **Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator**

mine *compositionis.* Conf. Grimm. p. 648 sq. Universa igitur domus profitetur, satisfactum sibi esse neque ultra caedem iri vindicatum. — Pro adverbio *utiliter* in cod. Long. et ed. Nor. exstat *utilitate*, cui scripturae nonnihil praesidii est in his locis: Annal. XVI, 5. *qui — privata utilitate advenerant.* Hist. II, 5. *prava certamina communi utilitate aboleverat.* Tacitus igitur etiam scribere potuit *utilitate in publicum;* nam locutio *in publicum* est pro adiectivo. *Iuxta libertatem,* i. e. coniunctim cum libertate. Ita Gellius IV, 9. *Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, iuxta M. Varronem doctissimus.* Quod Vossius in Etym. s. v. explicat: *una cum Varrone,* sive *coniunctim cum eo.* Item Germ. 30. *velocitas iuxta formidinem.* Ann. VI, 42. *populi imperium iuxta libertatem.* VI, 13. *gravitate annonae iuxta seditionem ventum.* Conf. Boettich. Lex. Tac. s. v. — *Iuxta* est a *iungendo,* neben an, dicht neben. Ramshorn. p. 404. *Convictus* pertinent ad populares, *hospitia* ad peregrinos; *effuse* est ad prodigentiam, ut sui commodi rationem non habeant, bis zur Ausschweifung. Etiam haec de Germanis ita sunt dicta, ut contrarii Romanorum in hoc genere mores perstringantur.

quemcunque mortalium — obligantur] Caes. B. G. VI, 23. *hospites violare fas non putant; qui quaque de caussa ad eos venerint, ab iniuria prohibent sanctosque habent; iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Mela III, 3. *tantum hospitibus boni mitesque supplicibus.* Lex Burgund. C. 38. 1. *quicunque hospiti venienti tectum aut focum negaverit, III solidorum inlatione mulctetur.* — *Fortuna* dicitur de statu hominum et condicione, inprimis tamen facultatum ratione habita. Schütz. Clav. Cic. s. v. 2.). — Tacit. Annal. IV, 23. *fortunae inops.* — Ad verba *cum defecere* intellige *epulae.* Sic cap. 24. *cum omnia defecerunt.* Scriptura cod. Farnes. *defecerit,* minime contemnenda, nec tamen recipienda, impersonaliter accipi potest, wenn Mangel eingetreten seyn sollte. Proxima a Walthero Comment. II. p. 45. recte ita interpunguntur: *cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes. proximam* etc. Ita nihil hic desideratur. *Nec interest,* i. e. nec diversa est receptio in nova domo quam adeunt ab ea quae fuerat apud priorem hospitem. Porro, teneo *ius hospitii,* Lipsii scri-

hospitii et comes; proximam domum non invitati adeunt. nec interest: pari humanitate accipiuntur. notum ignotumque, quantum ad ius hospitii, nemo discernit. abeunti, si quid poposcerit, concedere moris; et poscendi invicem eadem facilitas. gaudent muneribus; sed nec data imputant nec acceptis obligantur. [Victus inter hospites comis.] 3

pturam, sive e coniectura sive e codice aliquo profectam; estque *ius hospitii* quicquid in hospitibus recipiendis pro iusto habetur, quod ius postulat, ut notus et ignotus pari humanitate excipiantur. Si scribitur *ius hospitis*, hoc magnae est offensioni, quod vocabulum *hospes* tantulo intervallo primum de eo qui excipit, tum de eo qui excipitur, intelligendum est. — De verbo *imputandi* Gesnerus in thesauro: proprie rationum verbum est, ubi imputamus alii, quod tamquam datum illi vel ut acceptum ab illo in rationibus nostris ponimus: ac deinde benefactorum pariter et malefactorum annotationem quasi notat et attributionem. Saepius hoc vocabulo utitur Tacitus, ut Hist. I, 38. 55. 71. II, 31. 60. 85. III, 86. V, 24. Agric. 27. 34. Conf. Savilius ad Hist. I, 71. ubi hunc locum recte ita interpretatur: *nec ea quae conferunt, in partem ullam beneficii deputant, nec iis quae accipiunt, inest aliquod redhostimenti vinculum.* Verba *nec data imputant* referuntur ad datores, *nec acceptis obligantur* ad eos qui acceperunt.

victus inter hospites comis] Qui horum verborum patrocinium susceperunt, parum ad id videntur attendisse, num verbum *victus* id significet, quod volunt, *conversationem, consuetudinem.* Hanc vim hoc nomen, opinor, nunquam habet. Gesnerus in thesauro s. v. „Ulpian. l. 43. de verbor. signif. *Victus verbo continentur quae esui, potui cultuique corporis, quaeque ad vivendum homini sunt necessaria.* Vid. Duckeri opusc. de Latinitate Ictorum. p. 223." Atqui huic significationi nequaquam congruit adiectivum *comis.* Quod nisi mutaveris in *communis*, actum est de Taciti loco; sin scripseris *communis*, totus locus est elegans, talemque sententiam exprimit, quae, utpote summum comprehendens, quod inter hospites esse possit, aptissime in fine huius pulcherrimae imaginis potuerit collocari; neque hoc dubium est, quin Tacito obversatus sit locus Caesaris B. G. VI, 23. *iis omnium domus patent victusque communicatur.* Ergo fuit inter hospites communio bonorum, quae ad vitam quotidianam necessaria sunt. Dudum ita de Taciti loco sta-

CAP. XXII. **Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes et sua cuique mensa.**
2 tum ad negotia nec minus saepe ad convivia procedunt armati. diem noctemque continuare potando nulli probrum. crebrae, ut inter vinolentos, rixae

17. c. 23,

tueram, cum idem sentire Sellingium intellexi. Is de permutatione verborum *comis* et *communis* laudat Ruhnken. ad Terent. Heaut. V, 1, 39. Goerenz. ad Cicer. Fin. II, 25. V, 23. Otton. ad Cic. senect. 17.

CAP. XXII. *statim e somno — mensa*] Praepositio *e* usurpatur, quandocunque significatur egressio e materia, officio, munere, tempore, caussa, statu; atque sic hoc loco. Conf. Ramshorn. gram. lat. p. 464 sq. Non plane idem est *a*, quod exprimit remotionem. Ita Liv. XXII, 40. *ab hoc sermone profectum Paullum tradunt.* Harum praepositionum vim, qui explicant per *póst*, aliquantum obscurant. De *somno extracto* vid. cap. 15. — *Lavantur*, sie baden sich. De tempore quo Romani balneis sint usi, conferatur liber: der Pallast des Scaurus, übers. v. Wüstemann. p. 199 sqq. — *Calida* scil. *aqua*. Sic Aristoph. Nub. 1040. *θερμῷ λούεσθαι.* Vid. Lamb. Bos. Ellips. p. 502. Plin. ep. III, 5. 11. *post solem plerumque frigida lavabatur.* Calida Germani lavabantur hieme, alio tempore in fluminibus. Hinc a Tacito Hist. V, 14. *fluminibus sueti* vocantur. Herodian. VII, 11. *εἰσὶ δὲ καὶ πρὸς τὸ νήχεσθαι ἐγγεγυμνασμένοι ἅτε μόνῳ λουτρῷ τοῖς ποταμοῖς χρώμενοι.* — De formula *plurimum hiems occupat* vid. ad cap. 15. — De Celtis Diod. Sic. V, 28. *δειπνοῦσι δὲ καθήμενοι πάντες οὐκ ἐπὶ θρόνων, ἀλλὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ὑποστρώμασι χρώμενοι λύκων ἢ κυνῶν δέρμασι· διακονοῦνται δ' ὑπὸ τῶν νεωτάτων παίδων ἐχόντων ἡλικίαν, ἀῤῥένων τε καὶ θηλειῶν. πλησίον δ' αὐτῶν ἐσχάραι κεῖνται γέμουσαι πυρὸς καὶ λέβητας ἔχουσαι καὶ ὀβελίσκους πλήρεις κρεῶν ὁλομερῶν· τοὺς δ' ἀγαθοὺς ἄνδρας ταῖς καλλίσταις τῶν κρεῶν μοίραις γεραίρουσι.* Strabo IV, 4. 3. p. 197. (Tzsch. p. 58.) *χαμευνοῦσι δὲ καὶ μέχρι νῦν οἱ πολλοί· καὶ καθεζόμενοι δειπνοῦσιν ἐν στιβάσι.* Verba *separatae singulis — mensa* designant quidem quotidianum edendi morem; at idem in conviviis quoque observatum esse, quis dubitat?

tum ad negotia — transiguntur] *Convivia* videntur esse epulae apparatae diebus festis in conciliis extraordinariis.

**raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. sed et de reconciliandis invicem inimicis et iun- 3
gendis affinitatibus et asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat. gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pe- 4**

Vid. Caes. B. G. VI, 28. Tacit. Annal. I, 50. Hist. IV, 14. — *Diem noctemque continuare potando* est diem noctemque iungere potando, sive die nocteque perpotationem continuare. Annal. XVI, 5. *diem noctemque sedilibus continuant*; i. e. continuo assident. De militibus Germanis in Caesaris exercitu Appian. B. C. II, 54. *οἱ δὲ ὡς ἐκ λιμοῦ πάντων ἐνεπίπλαντο ἀθρόως καὶ ἐμεθῦσκοντο ἀπρεπῶς, καὶ μάλιστα αὐτῶν οἱ Γερμανοὶ γελοιότατοι κατὰ τὴν μέθην ἦσαν.* — Verbis *ut inter vinolentos* Tacitus non tribuit Germanis usum vini, a quo alienos fuisse et Nervios et Suevos ait Caesar B. G. II, 15. IV, 2. Neque cum Italicus, referente Tacito (Annal. XI, 16.), *saepius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurparit*, recte inde colligitur, *vinolentos* nostro loco esse temulentos ex cerevisiae potatione. Italicus enim vinum, quod in Italia adamaverat, facile indidem etiam apud Cheruscos videtur sibi potuisse comparare. Nimirum Tacitus h. l. non ipsos Germanos nominat vinolentos, sed comparat eos cum aliis gentibus vino deditis, ut Thracibus, apud Germanos narrans ut apud gentes vinolentas inter potandum rixas esse crebras. Similis voculae *ut* usus est cap. 25. (servo) *frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis, ut colono, iniungit*; ubi Tacitus quosdam Germanorum servos cum Romanorum colonis comparat, qui liberi erant, non servi. Eod. cap. 25. *ut inimicum.* De Celtarum vinolentia conferatur Diod. Sic. V, 26. ab Hessio citatus. — De Germanorum iracundia vid. cap. 25. Ad *transiguntur* intellige *rixae*. Cic. ad Attic. I, 4. *Acutilianam controversiam transegeris.*

inimicis — licentia ioci] Scripturam *inimicitiis*, quae exstat in Cod. Tur. et nonnullis vett. edd. cum Passovio, Orellio, aliisque praefero. — *Principes* eligebantur in conciliis; in conviviis consultabant, cui se principi singuli adiungerent, quos principes singuli assumerent. — *Simplex* est qui nihil celat. vid. Cic. Orat 69. de Fin. II, 14. 46. Offic. I, 4. 13. cum annotat. Garvii p. 39. et Hottingeri p. 119 sqq. Iam *simplices cogitationes* non possunt intelligi nisi respectu

ctoris licentia ioci. ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est. deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non possunt.

habito ad earum declarationem, *simplicesque* appellantur, quatenus id quod tamquam cogitatum ore profertur, plane respondet ei quod quis sentit. Porro hoc loco cogitationes intelligi videntur posse aut eorum, qui ipsi eas ore proferunt, aut eorum, qui communicatas ab aliis audiunt. Estne autem is qui bene potavit, aptior ad simplices aliorum cogitationes excipiendas, quam qui non potavit? Esse potest; nec tamen hoc tam est magnum tamque potantium proprium, ut h. l. huic rei iure a Tacito tantum tribuatur. At qui potavit et bene potus est, is libere proloquitur quod sentit neque quicquam celat. Quare locus ita est intelligendus: *tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes* ore proferendas *pateat animus aut ad magnas* concipiendas *incalescat.* Priora verba isto esse modo accipienda, etiam ea quae sequuntur, ostendunt. *Astutus* est quem nos vocamus *pfiffig; callidus*, qui subactus rerum usu iudicium habet promptum et rectum, quod interdum in vitium abit. Conf. Doederlin. Synon. III. p. 216 sqq. In proximis hanc Ernestii explicationem amplector: *nunc quoque*, nondum edocta artes dissimulandi et fingendi alia quam sentias. Item patet, hic quoque Tacitum respicere ad Romanos sui temporis artem fingendi fallendique optime callentes; neque dubitari licet, quin *ioci*, non quod Rhenanus intulit *loci*, genuina sit scriptura. *Iocum*, cui opponuntur *seria* (cap. 24. *aleam sobrii inter seria exercent*), appellat conviviorum hilaritatem pectora recludentem.

ergo detecta — non possunt] Sententiam interruptam verbis *gens non astuta — licentia ioci*, quae generalem animi Germanorum descriptionem continent, per particulam *ergo* resumit, resumptamque ita continuat, ut simul amplificet. Tum revocavi cum Bekkero aliisque distinctionem vulgatam ante Passovium, qui ante *ergo* colon, et post *mens* punctum posuit. Audacius sane dicitur *mens retractari*, non tamen inepte: nam *mens detecta et nuda* idem significat, quod *cogitationes simplices*, nec raro *mens* declarat id quod mente excogitatur. Ita Cic. Catil. I, 2. *his ego reip. vocibus et reliquorum mentibus respondebo.* Verr. 5, 35. *mentes hominum et cogitationes.* Pro Mur. 1. *mentes atque sententiae.* — *Retractare* autem est denuo et diligentius tractare, recognos-

CAP. XXIII. Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus.

cere, saepe eo consilio ut minus probata corrigantur. Ita Gellius XIV, 3. coniungit *retractare et corrigere*; quem locum citat Bremius ad Sueton. Octav. 34. ubi est *leges retractare*. Plin. Ep. IX, 10. *oratiunculam unam et alteram retractavi*. — In explicandis verbis *et salva utriusque temporis ratio* ea censeo sequenda esse quae I. F. Gronov. in adnotatione huic loco adiecta disputavit, quae hic repetere non dubitavi: „*Rationem constare* et *rationem salvam esse* sensu eodem dicuntur: et proprie in pecuniae rationibus domicilium habent. *Constat* enim et *salva est ratio*, quae non conturbata et implicita, sed explicata vel expedita est; ubi accepta et expensa quadrantur, ubi paria fiunt aut fieri possunt, ubi nulla reliqua, nec plus erogati est quam accepti." Secundum haec locus Taciti sic est intelligendus: si, quod utroque tempore fit, cum ipso tempore, quo fit, comparatur, haec duo inter se conveniunt, ratio constat; in richtigem Verhältnisse zu beiden Zeiten steht, was zu ieder Zeit geschieht. Eodem fere redit Hartmanni explicatio: *usus utriusque temporis recte se habet*, i. e. *utrumque et ebritatis et sobrietatis tempus apte legitur, atque adeo et deliberando et constituendo commodum est*. De verbo *constituendi* vid. ad cap. 11. De Persis Herodot. I, 133. *οἴνῳ δὲ κάρτα προσκέαται: — μεθυσκόμεναι δὲ εἰώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιέστατα τῶν πρηγμάτων· τὸ δ' ἂν ἅδῃ σφι βουλευομένοισι, τοῦτο τῇ ὑσταραίῃ νήφουσι προτιθεῖ ὁ στέγαρχος, ἐν τοῦ ἂν ἐόντες βουλεύωνται. καὶ ἢν μὲν ἅδῃ καὶ νήφουσι, χρέωνται αὐτέῳ· ἢν δὲ μὴ ἅδῃ, μετιεῖσι. τὰ δ' ἂν νήφοντες προβουλεύσωνται, μεθυσκόμενοι ἐπιδιαγιγνώσκουσι.*

CAP. XXIII. *Potui humor ex hordeo — mercantur*] Dativus *potui* exprimit finem qui spectatur. Ita cap. 46. *victui herba, vestitui pelles*. Sen. de ira II, 25. 2. *tepidior aqua potui*. Pro dativo etiam adhibentur praepositiones *in* et *ad*, item *pro*. Conf. Ramshorn. gram. lat. p. 354 sqq. *Humor ex hordeo* est *Bier*, qui potus nomen habet a voce Gothica *bar*, i. e. Gerste. *Frumentum* est triticum. Ita Veget. R. M. I, 13. *et milites — pro frumento hordeum cogerentur accipere; nec ante eis in tritico redderetur annona*. Veget. A. Vet. 3. 57. *frumentacea farina*, Weizenmehl. Plin. H. N. II, cap. ult. in fin. *ex iisdem* (frugibus) *fiunt et potus, Zythum in Aegypto, Caelia et Ceria in Hispania, Cervisia et plura genera in Gallia aliisque provinciis*. Ammian. XXVI, 8. *est autem Sabaia ex hordeo vel frumento in li-*

proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera aut lac concretum. sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. ad-

quorem conversus, paupertinus in Illyria potus. Diod. Sic. V, 26. *διόπερ τῶν Γαλατῶν οἱ τούτων τῶν καρπῶν στερισκόμενοι πόμα κατασκευαζόμενον ἐκ τῆς κριθῆς τὸ προσαγορευόμενον ζῦθος* —. Ernestius ad nostrum locum: „*Corruptus* hac tenus dici potest ille humor, qua omnia naturalia per artem in suavius ad sensum hominum mutata dicuntur corrupta: ut ap. Virgil. Georg. II, 466. *nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.*" Quod non omnino in nostrum locum convenit, in quo *corruptus* est *fermentando mutatus.* Conf. Rothii grammat. quaest. V. e Tacito repetitas, p. 30. Expressit Tacitus hunc Virgil. locum Georg. III, 380. *et pocula laeti fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.* Cf. I. H. Voss. p. 624. — *Proximi ripae* scil. Rheni. De Nerviis et Suevis vinum ad se importari non sinentibus vid. Caesar. B. G. II, 15. IV, 2. Ad Ubios contra, qui Rhenum attingebant, multum mercatores ventitabant. Caes. B. G. IV, 3. Flavius Vopisc. in Probi vita c. 18. (Probus) *Gallis omnibus et Hispanis ac Britannis hinc permisit, ut vites haberent vinumque conficerent.* At vix dubium potest esse, quin iam ante Probum, qui a. 276—282. imperium tenuit, Galli vites conseverint.

cibi simplices — temperantia] Conf. cap. 14. Plin. H. N. XVIII, 44. 1. *primum omnium frumenti vitium avena est, et hordeum in eam degenerat, sicut ipsa frumenti fit instar, quippe cum Germaniae populi serant eam, neque alia pulte vivant.* In Germania *agrestia poma* proveniebant, estque *pomum*, interprete Gesnero in thesauro s. v., generale nomen omnium fructuum, qui ex arboribus esui apti proveniunt sive mollium sive durorum. — Mela III, 3. *victu ita asperi incultique, ut cruda etiam carne vescantur, aut recenti aut cum rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subigendo renovarunt.* Ex quo loco colligi non potest, *feram recentem* h. l. esse feram crudam, cum Tacitus putandus sit respicere Romanorum morem, quo laxam victamque ferarum carnem praeferrent et in deliciis haberent; de quo more vide interpretes Horat. Sat. II, 8. 6. — *Lac concretum* est, quod nos dicimus Buttermilch, Molken, Schlückermilch. Plin. XI, 96. *mirum barbaras gentes, quae lacte vivant, ignorare aut spernere casei dotem, densantes id alioquin in acorem iucundum et pingue butyrum; spuma id est lactis concretiorque quam quod serum*

versus sitim non eadem temperantia. si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.

CAP. XXIV. Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. exercitatio artem parat, ars decorem. non in quaestum tamen aut mercedem: quamvis au-

vocatur. At Caesar B. G. VI, 22. *maior pars victus eorum in lacte, caseo, carne consistit.* Plinio tamen potius quam Caesari tali in re est fides habenda. *Apparatus* et *blandimenta* idem significant, hoc quidem discrimine, ut vox *blandimenta* simul declaret quam vim cibi magno artificio apparati ad palatum suaviter irritandum habeant; cuiusmodi suavitates cupidissime Romani appetebant. Vid. Horat. Sat. II, 8. *Sitis* intolerantes fuisse Germanos, Tacitus cap. 4. retulit. Praepositione *adversus* utitur item cap. 46. *securi adversus homines*; et quam plurimis aliis locis, quos collige ex indicibus.

si indulseris ebrietati — vincentur] Hoc Tacitus vult; si quis inservierit Germanorum ebrietati suggerendo quantum concupiscant, tum futurum esse ut eadem facilitate et vitiis et armis vincantur. Quod vere dixit; nam vitiis corrupti populi, quantumvis antea fortes, tamen armis facile vincuntur. Quo modo verba *minus facile* significare possint id quod Sellingius vult, *facilius*, imo *multo facilius*, ego non assequor.

CAP. XXIV. *genus spectaculorum — voluptas spectantium*] His spectaculis feminae non videntur interfuisse. vid. cap. 19. De voc. *nudus* vid. ad cap. 6. Verba *quibus id ludicrum est* non sunt vertenda: *die dieses Spiel treiben*; quod latine ita esset exprimendum: *quorum id ludicrum est*; sed, *für welche dieses ein Spiel ist.* Idem exprimit *audax lascivia*. Frameae *infestae* sunt porrectae contra saltantes. Comparatur hoc saltandi genus cum Graecorum πυῤῥίχη, quam item iuvenes armati instituebant. Conf. Perizon. ad Aelian. V. H. III, 8. Rectius tamen comparatur *chorea gladiatoria* (Schwerttanz), de qua Alex. ab Alex. Gen. Dier. III, 21. In ludicri istius locum postero tempore apud Germanos successerunt ludi equestres (*equiria*, Varro L. L. V, 3.) s. *torneamenta* (Turniere). Sidon. Apollin. V, 264 sqq. *Ludus et intortas praecedere saltibus hastas Inque hostem venisse prius; puerilibus annis Et belli maturus amor.* Vocabul. *artis* h. l. significat facultatem rem recte et nullo negotio perficiendi

2 **dacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate ut, cum omnia defecerant, extremo ac novissimo iactu de libertate et de**
3 **corpore contendant. victus voluntariam servitutem adit: quamvis iuvenior, quamvis robustior, alligari se ac**

(Kunstfertigkeit). — Unice aptum est *parat*, quod declarat id quod singuli iuvenes hoc ludicrum exercentes assequuntur. *Paravit*, quod hoc quidem loco non esset *parare solet*, significaret gradum perfectionis, in quem omnis haec dexteritas apud Germanos fuerit adducta. Ceterum verba *exercitatio artem parat, ars decorem* pro parenthesi accipienda sunt. *Quaestus* est lucrum, commodum quod quaeritur; *merces*, praemium depactum, quod pro opera et labore datur. *Quamvis* hic eadem vi qua saepius *quamquam* enuntiati initio positum est. Vid. ad cap. 18.

aleam — inter seria exercent — contendant] *Seria* opponuntur *ioco*, conviviis et compotationibus, in quibus ebrii de seriis rebus agebant; aleam autem sobrii ut rem seriam tractabant. Videntur ad perversum hoc studium eo esse adducti, quod in vita simplici rerumque vicissitudine vacante segne otium non ferebant. — *Temeritas lucrandi* est temeraria lucrandi cupiditas, *temeritas perdendi*, periculum perdendi temere aditum. — De lectionibus *defecerint* et *defecerunt* vir doctus in supplem. Ephem. Ienens. litt. 1828. n. 93. recte ita statuit, coniunctivo poni factum aliquod tamquam quod cogitetur esse, indicativo exprimi quod vere sit factum. Si indicativus praefertur, is ad solos aleatores est referendus; qui modus h. l. haud dubie est aptior. In cod. Tur. est *defecerint*. — *De libertate ac de corpore.* „Hoc aleae studium pertinax Hunnis attribuit D. Ambrosius de Tobia cap. XI. *Ferunt Hunnos, cum sine legibus vivant, aleae solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul et arma portare, et plures suis quam hostilibus ictibus interire. In victoria sua captivos fieri et spolia suorum perpeti, quae pati ab hoste nequiverint.* Et statim: *Frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea quae sola magna aestimant, arma victus tradiderit, ad unum aleae iactum vitam suam potestati vel victoris vel foeneratoris addicat. Denique constat, quod quidam et Imperatori Romano cognitus in fide pretium servitutis, quod sibi tali sorte superatus intulerat, suppliciis imperatae mortis exsolverit.*“ *Lips.*

quamvis iuvenior — exsolvant] Formam *iuvenior* habet

venire patitur. ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. servos condicionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.

CAP. XXV. Ceteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur. suam quisque sedem, suos penates regit. frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis, ut colono, iniungit; et servus hactenus paret. cetera domus officia uxor

etiam Plinius Epist. IV, 8. 5. *multo etiam iuvenior quam ille.* Apud Tacitum in nonnullis edd. vett. et cod. Tur. est *iunior.* — De vocab. *pervicacia* Nonius V, 40. *pervicacia est interdum bonarum rerum perseverantia: pertinacia semper malarum.* Schol. ad Horat. Epod. XVII, 14. *pervicaces sunt qui in aliquo certamine ad vincendum perseverant.* De *fide* Germanorum nota est illa vox Frisiorum, qui sub Nerone Romam venerant. Tacit. Annal. XIII, 54. *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse.* Sub Claudio id accidisse narrat Sueton. Claud. c. 25. — *Per commercia tradunt*; nam mercium permutatione Germani utebantur. conf. c. 5. *Exsolvere* i. q. liberare, ut Annal. VI, 44. *donec Tiridates — pudore proditionis omnes exsolvit.* Hist. III, 61. *donec Priscus et Alphenus — pudore proditionis cunctos exsolveret.* Denique *pudor* i. q. αἰσχύνη, Schande, Beschämung.

CAP. XXV. *ceteris servis — exsequuntur*] De variis servitutis caussis exponit Grimmius in antiquit. germ. iur. p. 320 sqq. Igitur servi sunt facti bello capti, servis nati, per nuptias, per deditionem, vim, poenam. Servis non utuntur *in nostrum morem*, quo *ministeria per familiam sunt descripta.* De servorum Romanorum ministeriis consule *Pignorii* commentarium *de servis et eorum apud veteres ministeriis*; item Senec. epist. ad Lucil. 47. *Suam quisque sedem, suos Penates regit*, ieder hat sein eignes Hauswesen und ist Herr in demselben. Hoc si vere de Germanis Tacitus retulit, Germani tali condicione servos, quali Romani, habuerunt nullos. Sunt enim haec verba de servis accipienda, qui fuerunt χωρὶς οἰκοῦντες (Demosth. Phil. I, 11. 3.). Germanorum servos comparat cum Romanorum colonis, qui erant liberi. *Colonus*, Gesnero interprete in thesauro s. v., est agri alieni conductor, quem ea lege illi locavit dominus, ut pecuniam vel fructus aut certa mensura aut pro parte s. portione pendat. Conf. Grimm. p. 350. et p. 559. Verba *cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur* non de servi, sed de domini domo sunt accipienda, atque Germanorum instituta ab insti-

ac liberi exsequuntur. verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum. occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi
3 quod impune est. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in

tutis Romanorum eo differebant, quod officia, quae servi apud Romanos, apud Germanos uxor et liberi exsequebantur. Ita cap. 15. *delegata domus et Penatium et agrorum cura feminis, senibusque et infirmissimo cuique ex familia.* — Cum *officium* dicatur quicquid est faciendum, etiam necessitas tributorum domino tribuendorum quamquam non inter *domus* officia, ad *officia* tamen recte refertur; adiectivum *cetera* autem eodem hic modo est positum, quo in loco Ciceronis a Boeckhio citato in libello de Platonis Minoe, Verr. IV, 32. *in istius lenonis turpissimi domo simul cum ceteris Chelidonis hereditariis ornamentis Capitolii ornamenta ponentur.* Apud Romanos in familia non prorsus inope atque egente talia officia uxori ac liberis non fere imposita fuisse, recte hic monuit Orellius.

verberare servum — nisi quod impune est] Romanos constat et verberibus et opere rustico crudelissime in servos saeviisse. Vid. Iuvenal. VI, 219 sq. Plin. H. N. IX, 39. Sen. de ira III, 40. de clem. I, 18. Epist. 47. Boettigeri Sabin. T. I. p. 308. — Vocula *est* post *impune* tot auctoritatibus defenditur, eam ut recipere non dubitarim. Walchius in Emend. Liv. p. 241. locutionem illustrat his locis: Liv. XL, 9. *si insidiantibus sit impune.* IV, 40. *quia illis impune fuerit.* Terent. Eunuch. V, 2. 13. *credin' te impune habiturum?* „De hero suum servum occidente nunquam mentio fit in Legibus Francorum, Longobardorum et Burgundionum; in Visigothorum autem codice Lib. VI, 5. 12. haec leguntur: *servum suum extra publicum examen occidere quicunque praesumserit, pro facti huius temeritate libram auri fisco persolvat.* Patronus qui servum suum tributarium aut litum, id est, colonum media inter servitutem ac libertatem conditione occiderat, XXXVI solidos exsolvere cogebatur, ex lege Ripuariorum c. 62." *Orell.* Adde Grimmii antiquitt. iur. germ. p. 344. — *Nisi quod* est coarctantis antea dicta et quasi restringentis, atque hic sine ellipsi positum. Aliis locis id Tacitus post ellipsin ponit. Conf. Rothii synon. p. 40.

liberti — argumentum sunt] Sueton. Claud. 24. *Libertinorum filios in senatum allegisse docuit, ignarus temporibus Appii et deinceps aliquamdiu libertinos non ipsos, qui manu*

civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus quae regnantur. ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

CAP. XXVI. Fenus agitare et in usuras extendere ignotum; ideoque magis servatur quam si vetitum esset. agri pro numero cultorum ab universis in

emitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Ex his Suetonii verbis apparet antiquis temporibus *libertinos* dictos esse filios manu missorum seu libertorum. Postero tempore iidem sunt *liberti et libertini*, ita quidem ut *liberti* dicantur respectu ad condicionem. Cum Tacitus utroque hic vocabulo utatur, priori loco appellat *libertos* ob arctiorem necessitudinem, qua adhuc attingebant manumissorem, posteriori *libertinos* ob condicionem. Ut sic statuatur, cogit omnis orationis series. Ceterum liberti, qui non multo potiore quam servi fuerunt condicione, videntur necessitate tributi solvendi liberi fuisse. *Raro aliquod momentum* scil. *sunt.* Ita Liv. III, 12. *iuvenis egregius, maximum momentum rerum eius civitatis, in quamcunque venisset.* Idem ac si dixisset: raro aliquod momentum habent, sie haben selten Einfluss. — *quae regnantur*, i. e. quae regio imperio tenentur. Conf. de hoc huius verbi usu et structura Boettich. Lex. Tac. p. 17. Ita etiam Virgil. Aen. VI, 768. *si unquam regnandam acceperint Albam.* v. 794. *regnata per arva.* Reges habuerunt Gothones c. 43. item Suiones c. 44. — *Impares*, aut omnino qui nulla sunt auctoritate, quo sensu aliquoties Tacitus *minores* dixit, et ita Hist. II, 99. *impar apud Vitellium;* aut qui non pari cum ingenuis et nobilibus sunt auctoritate; qui sensus propter ea quae praecedunt, praeferendus est.

CAP. XXVI. *fenus agitare — vetitum esset*] De hoc loco vexatissimo, qui multum semper virorum doctorum ingenia exercuit, neque unquam exercere desinit, breviter dicam quod sentio. Formula *fenus agitare* significat pecunias sub usuris collocare. Conf. Annal. VI, 16. Tum ad verba *in usuras extendere* pro obiecto, quod dicunt, non assumendum est vocabulum *fenus*, sed tota locutio *fenus agitare*, ut hoc Tacitus dicat: *idque*, scil. fenus agitare, *extendere in usuras*, id est, usuras ex usuris capere, sive *ἀνατοκίζειν*, *hoc ignotum* est. Porro ad verba *ideoque magis servatur*, i. e. observatur, ex antecedentibus contraria sententia, *fenus non exercere*, sive *abstinentia a fenore exercendo*, est intelligenda. At haec si diligentius considerantur, vehementer offendunt.

vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum spa-

Comparatur enim duarum in una eademque re conspicua caussarum vis, et ita quidem, ut alteri caussae maior vis quam alteri tribuatur. Harum caussarum altera est fenoris exercendi ignoratio, altera sunt leges quibus feneratio vetatur. Sed quomodo, quaeso, fenoris ignoratio dici potest magis efficere abstinentiam a fenore agitando, quam leges, quibus feneratio prohibetur? Nonne ita aliquid quod nihil est, fenoris ignoratio, comparatur cum altero, quod aliquid est, cum legibus prohibitoriis, et ita quidem comparatur, ut id quod nihil est, maiorem dicatur habere vim ad eundem eventum, quam id quod aliquid est? Hic igitur locus, in quo leve est, quod legimus *ideoque*, cum alibi fere *eoque* Tacitus scribat, praeterquam quod orationis cohaerentiam interrumpit, (conf. Antonii vers. p. 151.) non modo exprimit sententiam claudicantem, sed adeo absurdam. Et qui tandem potuit Tacito in mentem venire de Germanis hoc referre, a fenore eos abstinuisse, cum aut nihil, aut non multum pecuniae haberent? Nisi forte id propter contrarios Romanorum mores addere voluit. — In proximis scripturam *per vices* probare nequeo. Nam qui tum intelligendi sunt *universi*? Universus aliquis populus intelligi non potest. Singuli enim populi suis quisque finibus continebantur, quos constanter incolebant. Intra hos fines autem praeter universos non erant alii, quibuscum universi mutare possent. Mutarent igitur inter se, et per minores quidem coetus, quales sunt vici. Quod si scribitur aut cum cod. Bamb. *vicis*, aut cum Pichena, Grotio; Conringio *per vicos*, omnia recte se habent. Nimirum universi, qui ad eundem vicum pertinerent, qui fere cognati videntur fuisse, quas vocat Caesar B. G. VI, 22. gentes cognationesque (add. Grimm. l. c. p. 495.), tantum agri quantum pro numero cultorum videretur, occupabant, singulisque de agro occupato *secundum dignationem*, h. e. Longolio interprete, prout quisque aut princeps aut nobilis aut plebeii ordinis esset, maiores minoresve portiones attribuebant, quas per annum colerent, sive quae arva essent. Proximo anno arva mutabant. Scriptura *per vices* ab iis videtur profecta, qui Tacitum Caesari consentientem reddere vellent. Caesar enim l. c. ait: *agriculturae non student; neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum qui una coierunt, quantum et quo loco visum est, agri attribuunt atque anno post alio transire cogunt.* Item IV, 1. *privati ac*

tia praestant. arva per annos mutant; et superest ager. 2 nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent: sola terrae seges imperatur. unde annum 3 quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent: auctumni perinde nomen ac bona ignorantur.

CAP. XXVII. **Funerum nulla ambitio: id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis**

separati agri apud eos nihil est; neque longius anno remanere uno in loco incolendi caussa licet. At haec ipsa Taciti verba *arva per annos mutant* eodem sunt referenda, quo illud, quod Caesar de Germanis retulit. Mox *superest ager* non significat *abunde suppetit*, ut c. 6., sed post factam divisionem ager reliquus est, es ist bestellbares Land übrig. — Deinde cum Bekkero revocavi lectionem *labore*. Nam scriptura *laborare*, quae in plurimis vett. edd. exstat et a Passovio est probata, mihi quidem locum habere non posse videtur. *Cum ubertate et amplitudine soli labore contendit is* qui labore solum cogit, ut plures fructus ferat, quam ferret hominum studio et labore non accedente, itemque plures ferat, quam pro naturali amplitudine, is inquam ita contendit, qui facit, quod in Italia fiebat, qui pomaria conserit, prata separat, hortos rigat. Varro R. R. I, 2. 6. *non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium videatur?* Add. Virgil. Georg. I, 106. ibique Voss. p. 80. Georg. IV, 115. Voss. p. 766. Eclog. III, 111. — *Seges* est h. l. sementis proventus, qui imperatur, ut *frumentum, commeatus imperari* dicitur. Sic in loco Aeneidos initio assuto: *vicina coegi, ut quamvis avido parerent colono.* Georg. I, 55. *iniussa virescunt gramina.* — Anni *species* sunt anni partes, ut logici generis partes seu notiones generi subiectas species et formas appellant. *Intellectum habent*, i. e. intelliguntur (man hat einen Begriff von ihnen), *vocabula habent*, i. e. certis vocabulis inter se distinguuntur. Quod de auctumno Tacitus dicit, falsum est: nam vocabulum *Herbst* haud dubie est originis Germanicae et antiquum, quod significat *Ernte*, gothice *ar*, anglice *harvest*. Ceterum conf. Moneius T. II. p. 79. et p. 109.

CAP. XXVII. *funerum nulla ambitio — viris meminisse*] *Funerum ambitio* est funerum magnificentia, pompa et vana ostentatio, qualis in Romanorum erat funeribus et sepulcris. Conf. Cic. de Legg. II, 26. 66. Sen. de brev. vit. c. 20. Plin.

lignis crementur. struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni
2 et equus adiicitur. sepulcrum cespes erigit. monumentorum arduum et operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur. lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. feminis lugere honestum est, viris meminisse.

3 Haec in commune de omnium Germanorum ori-

H. N. XII, 41. *beatam illam* (Arabiam) *fecit hominum etiam in morte luxuria, quae diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis.* Tacit. Annal. III, 2. — *Ligna certa* Diltheius intelligit iuniperum, Moneius T. II. p. 32. ligna arborum sacrarum. Longolius recte pronuntiat, quibusnam lignis ista corpora cremata sint, disputare frustra esse. — „Caroli M. capitulatio de partibus Saxoniae in Monument. Paderb. p. 302. *si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit et ossa eius ad cinerem redegerit, capite punietur.*“ Orell. *Struem nec vestibus* (i. e. tegumentis, velamentis) — *cumulant.* Structura est poëtica. Ita Virgil. Aen. VIII, 284. *cumulantque oneratis lancibus aras.* quae repetuntur XII, 215. Item XI, 50. *cumulatque altaria donis.* — *Equus adiicitur.* Idem narrat de Scythis Herodot. IV, 71. de Gallis Caesar B. G. VI, 19. Apud Getas, ut nostra aetate apud Indos, etiam uxores cum maritis comburebantur. Conf. Mela, II, 2. 4. Val. Max. II, 6. 14. Solin. c. 10. — Ut hic Tacitus *sepulcrum cespes erigit*, ita Sen. Epist. 8. *hanc* (domum) *utrum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nil interest.* Tac. Annal. II, 19. *latus unum Angrivarii lato aggere extulerant.* Conf. Ramshorn. gr. lat. p. 1001. — Proxima verba spectant ad Romanorum mores apud quos pro defuncti condicione sepulcra humiliora altiorave erant. Vid. Kirchmannus de funerib. Romanorum, III, 16. quem citat Heindorf. ad Horat. Sat. I, 8. 36. — *Arduus* hic est synonymum adiectivi *operosus*, neque significat *excelsus.* Nam *excelsus honor monumentorum* non differret *a terra improcera ob improcera corpora pecudum* (cap. 5.) — De luctu Romanorum Seneca Epist. 63. *annum feminis ad lugendum constituere maiores, non ut tam diu lugerent, sed ne diutius. viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum.* Epist. 100. *oblivisci quidem suorum ac memoriam cum corporibus efferre et effusissime flere, meminisse parcissime, inhumani animi est.* — *Vir prudens meminisse perseveret, lugere desinat.*

gine ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

CAP. XXVIII. Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum D. Iulius tradit; eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos: quantulum enim amnis obstabat quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes

accepimus — expediam] *Accepimus*, i. e. ab aliis tradita audivimus, non ipse cognovimus. *Cognovisse* enim dicimur, quae ipsi experti sumus. — De *migrationibus Germanorum in Gallias* conf. Tacit. Hist. IV, 73. Caesar B. G. I, 31. II, 4.

CAP. XXVIII. In describendis Germaniae populis secundum Wersebium p. 215. Tacitus hac via procedit. Initio facto a populis, quos Germaniae non proprie dictae attribuit in parte Nicri et Danubii meridionali incolentibus, pergit in occidentali Rheni parte a meridie septemtriones versus usque ad extremos Batavos; tum transit ad Germanos veros inde ab orientali Rheni parte, primumque describit Mattiacos super Moeni ripam; tum rursus a meridie ad septemtriones ascendit, ita quidem, ut populos sub eadem caeli altitudine habitantes inter se coniungat, sensim pergens usque ad Albim, et postremo Cimbros trans Albim incolentes adiungit. Hi populi totum spatium inter Rhenum et Oceanum ab occidente Salamque Francicam implent; quantumcunque autem ultra hos fines orientem versus situm est, id omne est Suevorum. Cumque iure poni possit, similem a scriptore ordinem etiam in enumeratione populorum Suevicorum esse observatum, Tacitus sic pergere est putandus, ut primum in Albis parte occidentali ultraque in occidente a septemtrionibus meridiem versus usque ad Danubium et longius desendat; tum rursus ab Albis parte orientali a meridie septemtriones versus surgat versus mare Balticum, ulteriusque secundum huius maris littus orientem versus.

summus auctorum — diversas] *Summus auctorum* est omnium scriptorum is qui plurimum auctoritatis fideique habet. Pertinent haec ad locum Caes. B. G. VI, 24. *fuit antea tempus cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum magnitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent.* Ad quem locum Morus: „Haud dubie Caesar ea tempora in animo habuit, de quibus Livius (5, 34) in nobili loco de migrationibus Gallo-

promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas?
2 Igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes *Helvetii*, ulteriora *Boii*, Gallica utraque

rum agit. Narrat autem, Prisco Tarquinio regnante coloniam Gallorum Sigoveso duce versus Hercyniam silvam migrasse." At Niebuhrius (Hist. Rom. II. p. 258 sqq.) docuit factum id esse duobus post saeculis, bello Veientico. Ceterum quod hic Tacitus refert, non pugnat cum eo quod cap. 2. dicit Germanos fuisse indigenas minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos. — *Amnis* est Rhenus. Vid. Werseb. p. 134. *Promiscuae* sedes, quae nondum certis finibus sunt inclusae et a vicinis separatae, ut Passovius interpretatur; *diversae* i. q. divisae, separatae. Vid. Tac. Annal. XV, 56. Drakenborch. ad Sil. Ital. XVII, 546. Flor. II, 6, 51.

inter Hercyniam silvam — ulteriora Boii — mutatis cultoribus] Caes. B. G. VI, 25. *Hercyniae silvae latitudo novem dierum iter expedito patet. oritur ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium: hinc se flectit sinistrorsus diversis ab flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit: neque quisquam est huius Germaniae, qui se aut adisse ad initium eius silvae dicat, cum dierum iter LX processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit.* Vell. Pat. II, 108. *Nihil erat iam in Germania quod vinci posset praeter gentem Marcomannorum, quae Maroboduo duce excita sedibus suis atque in interiora refugiens incinctos Hercynia silva campos incolebat.* Strab. VII. p. 290. (Tom. II. p. 322. Tzsch.) ἐξῆρται γὰρ ἡ χώρα πρὸς νότον καὶ συνεχῆ ταῖς Ἄλπεσι ποιεῖ ῥάχιν τινὰ πρὸς ἕω τεταμένην, ὡς ἂν μέρος οὖσαν τῶν Ἄλπεων· καὶ δὴ καὶ ἀπεφήναντό τινες οὕτως διά τε τὴν λεχθεῖσαν θέσιν καὶ διὰ τὸ τὴν αὐτὴν ὕλην ἐκφέρειν· οὐ μὴν ἐπὶ τοσοῦτόν γε ὕψος ἀνίσχει τὰ ταύτης μέρη. ἐνταῦθα δ᾽ ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς καὶ τὰ τῶν Σοήβων (Cluver. Germ. antiq. 3, 24. extr. p. 599. malit Σουήβων) ἔθνη τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ, καθάπερ τὰ τῶν Κολδούων (Cluver. putat nomen esse corruptum ex Κουάδοι)· ἐν οἷς ἐστι καὶ τὸ Βουΐαιμον (vulg. Βουΐασμον) τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους. Ibid. p. 292. (§. 5. p. 330. Tzsch.) ὁ δὲ Ἑρκύνιος δρυμὸς πυκνότερός τε ἐστὶ καὶ μεγαλόδενδρος ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς κύκλον περιλαμβάνων μέγαν· ἐν μέσῳ δὲ ἵδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη, περὶ ἧς εἰρήκαμεν. ἔστι δὲ πλησίον αὐτῆς ἥ τε τοῦ Ἴστρου πηγὴ καὶ ἡ τοῦ Ῥήνου. Alios de hoc saltu

gens, tenuere. manet adhuc *Boihemi* nomen significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cul-

scriptorum locos citat Reichardus in libro: Germanien unter den Römern. p. 217. item Mannertus in libro: Geograph. d. Griech. u. Römer. T. III. p. 410 sqq. et Wilhelmus in libro: Germanien u. seine Bewohner. p. 27 sqq. Add. Ledebur in libro: das Land u. Volk d. Bructerer. Hic p. 3. ait, Hercyniam silvam apud veteres scriptores non solum significare saltus Germaniae meridionalis et mediae in Suevia, Franconia, Bohemia, Thuringia et Saxonia inferiori, sed etiam a Moeno septemtriones versus inter Visurgim Rhenumque procurrentes montes Hassiae et Westphaliae. Singulas eius partes enumerat Reichardus p. 218. „der Schwarzwald, der Odenwald, der Spessart, die Rhön, die Fuldischen u. Hessischen Waldungen, der Thüringerwald, der Frankenwald, der grosse Fichtelberg; dann die nordöstliche Ausweichung, nämlich das Erzgebirge, die Ober-Lausitzer Waldung, das Riesengebirge, das Gesenke u. dessen Fortsetzung bis an die Carpathen oder das Tatra-Gebirge; die südöstliche Ausweichung, nämlich der Böhmerwald u. die waldigen Höhen zwischen Böhmen u. Mähren bis an das Gesenke — alles dieses war unter diesem Namen begriffen.“ — Ad nomen *Helvetii* ex iis quae sequuntur, assumendum est substantivum generale *loca*, vel notio participii τὰ ὄντα. Similis dicendi ratio est in Agricol. c. 6. *mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque etiam ipsum tribunatus annum quiete et otio transiit;* ubi post *plebis* nomen *tempus* est intelligendum. Hic Helvetiorum tractus is fuit per quem via montana (Bergstrasse) porrigitur, qui ab occidente Rheno, ab oriente ea Hercyniae silvae parte, quae ab ostio Tuberi (Tauber) ad Danubium usque pertinet, disterminabatur. Vid. Werseb. p. 9. not. 8. p. 134. Helvetii si non per Caesarem, tamen non multo post a Romanis sunt subacti. — *Boii* incoluerunt ultra Helvetios orientem versus secundum Danubii ripam eosdem fines, qui hodieque Bavaria vocantur, atque eam Raetiae partem, quae a Danubii fontibus in dextra eius ripa ad lacum usque Brigantinum Rhenumque pertinebat, adusque Tyrolicos montes. Vid. Werseb. p. 135. Iidem fuerunt indigenae in Bohemia. Conf. Strabo VII, 2. 2. p. 293. Mannert. III. p. 478. sed quo iure Boii appellantur Gallica gens? Wersebius p. 9. et p. 135 sq. rem ita expedivit: Initio belli quod Caesar gessit cum Gallis (de B. G. I, 5.), Boii dextram Rheni ripam incoluerant, cumque frustra agrum Noricum oppugnassent, cum Helvetiis se coniunxerunt. Helvetios cum sociis Caesar haud procul a Bibracte (Bevrais) in

3 toribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab *Osis* Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est, quia, pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripae bona ma-

Aeduorum finibus devicit et omnes cepit. Cum alios in suos fines reverti iussisset, Boiis, petentibus Aeduis, permisit, ut in Aeduorum finibus considerent (cap. 28.). Atque hunc tractum Wersebius arbitratur esse eum qui dicitur *Beaujolois*, et oppidum Boiorum *Beaujeu*, ut nunc appellatur; eundemque hunc locum esse *Boihemum*; utque ex hoc nomine Tacitus coniecerit, Boios olim in Gallia habitasse, ita eum cum propter idem nomen, tum etiam propterea, quod Gallicae coloniae olim in Germaniam transierint, Boios credidisse olim ex Gallia in Germaniam immigrasse; at contrarium evenisse, et Boios ex Germania in Galliam esse profectos; Boios autem ut Helvetios Gallicam gentem vocari, quia utraque gens eadem fuerit condicione et Romanis subiecta. Ita Wersebius. Alii contra viri docti Boiemum intelligunt Bohemiam, Boiorum patriam, ubi sedes fuit Marobodui, qui expulsis inde Boiis sub Augusto cum Marcomannis (qui sunt *mutati cultores*) ibi consedit. Quae mihi ratio multo magis quam Wersebii probatur.

utrum Aravisci — malaque erant] A Plinio H. N. III, 28. appellantur *Eravisci*, a Ptolemaeo II, 16. *Ἀράβισκοι*. Horum *Arabiscorum* sedes Mannertus p. 569. collocat circa Mursam (Essek) ad fl. Dravum. Secundum Werseb. p. 138. Taciti *Aravisci* habitarunt circa Arrabonem oppidum (Raab), inter Arrabonem Danubiumque amnes in Pannonia; *Osi* in dextra Danubii ripa in confiniis Pannoniae in Austria infra Anissum (unter der Ens). Osos hic appellat Germanorum nationem propter sedes quas habuerunt in Germania sensu ampliori intellecta, extra Germaniam proprie dictam, liberam illam a Romanorum imperio. Eosdem Osos Tacitus cap. 43. simpliciter negat fuisse Germanos ob linguae Pannonicae usum; id quod ad solam eorum originem sit referendum. Ita Werseb. p. 138. et p. 235 sq. utrumque Taciti locum inter se conciliat. Reichardus p. 117. Osos collocat in ducatu, qui olim fuit, *Auschwitz*, polonice *Oswieczim*, inter Vistulam et montes Tatra. Conf. Cluver. Germ. ant. III. p. 125. — Passovius et Diltheius verba *Germanorum natione* ut suspectae fidei uncis incluserunt. — *Utriusque ripae*, sc. Danubii, in cuius sinistra ripa collocantur Aravisci, in dextra Osi.

laque erant. *Treveri* et *Nervii* circa affectationem 4
Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, *Vangiones, Triboci, Ne-*

Treveri — separentur] *Treveri* habitarunt, qua silva Arduenna meridiem versus descendit. Fines eorum perfluebat Mosella: caput erat Augusta Treverorum (Trier). Ex seriore divisione pertinuerunt ad Belgicam primam. Conf. Werseb. p. 308. Multo ante Caesarem Rhenum transgressi in Gallia consederant (Caes. B. G. II, 4.), nec tamen pristinam ferociam exuerant. Caes. B. G. VIII, 25. *quorum* (Treverorum) *civitas propter Germaniae vicinitatem quotidianis exercitata bellis cultu et feritate non multum a Germanis differebat.* Eorum origo adeo repetita est a Trebeta Semiramidis privigno patriis finibus a noverca expulso. Vid. Epigr. in Anth. Lat. 3, 20. T. I. p. 472. repetitum a Wernsdorf. Poet. Lat. Min. T. 5, 3. p. 1382. quod Passov. ad h. l. citat. — *Nervii* in Haginovia (Hennegau) a meridie finitimos habuerunt Ambianos, a septemtrione Tungros in agro Leodiensi, sed Caesaris aetate Atuaticos, qui sunt iidem cum Tungris. Conf. Caes. B. G. II, 15. 16. 29. V, 38. Plin. H. N. IV, 31. Oppidum *Bavay* in tabula Peutingeriana appellatur Bagacum Nerviorum. Conf. Werseb. p. 308. 325. Ledebur. d. Land u. Volk d. Bruct. p. 138. not. 497. — *Ambitiosus circa aliquid* dicitur qui aliquid sibi honori esse arbitratur idque cum superbia prae se fert. — Cum Nervii revera essent Germanicae originis (conf. Caes. II, 4. Strabo IV, p. 194.), non prorsus inepta est scriptura *circa affectionem*, ut haec loci sententia sit: honori sibi ducunt, quod sunt Germanice originis, eamque amant. De Gallis Tacitus, quos odio habuit, ita in Agricola XI. *Gallos quoque in bellis floruisse accepimus, mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate.* In hanc segnitiam per Caesaris victorias prolapsi erant. Conf. Walch. ad Agric. loc.

haud dubie Germanorum — custodirentur] Verba *haud dubie* arcte cohaerent cum *Germanorum* nomine, eademque est sententia quae exsistit si cum Günthero legas *haud dubii.* Ceterum haec respiciunt ad Treveros et Nervios, tamquam non certum sit, hos esse originis Germanicae. *Vangiones* (Lucan. I, 431.) habitarunt in agro Wormatiensi. Eorum urbs posthac est dicta Borbetomagus (Worms); *Triboci* in Alsatia, quorum urbs Argentoratum; *Nemetes* (Νέμητες) in agro Spi-

metas, ne *Ubii* quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius *Agrippinenses* conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

rensi, quorum urbs Noviomagus, posthac Spira dicta. Ammian. XV, 11. *dein prima Germania, ubi praeter alia municipia Mogontiacus est, et Vangiones et Nemetae et Argentoratus, barbaricis cladibus nota.* Conf. Diltheius ad h. l. item Werseb. l. c. p. 305. Hi tres populi interfuerunt exercitui Ariovisti (Caes. B. G. I, 51.), post cuius cladem in his regionibus remanserunt. Conf. Mannert. III. p. 236 sq. — Iulius Caesar *Ubios* dextram Moeni ripam incolentes, a quibus contra Suevos auxilio vocatus fuerat (B. G. IV, 16.), volentes in Romanorum fidem amicitiamque receperat, sed ut in suis eos finibus relinqueret. (Quos fines non fuisse Wetteraviam, sed ad Rhenum in ducatu Montensi, docet Ledebur. p. 163.). Tempore interiecto M. Apripppa cum ante pugnam Actiacam Octaviani exercitibus in Galliis praeesset, anno 716. trans Rhenum expeditionem fecit (Dio Cass. lib. 48.). Quoniam minus prospere a Romanis pugnatum erat, Ubii qui eos adiuverant, ut vicinorum Germanorum iram et ultionem vitarent, pristinos fines relinquere et cum Agrippa in sinistram Rheni ripam transgredi sunt coacti. Is habitare eos iussit circa Coloniam. Ab huius nepti, Agrippina, Germanici filia, Claudii imperatoris uxore in oppidum sive aram Ubiorum (conf. Annal. I, 31. 36. 37. 39. 71.) anno 804 veteranorum colonia deducta est et appellata. Annal. XII, 27. *Agrippina — in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius.* Hist. IV, 28. *actae utrobique praedae; infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis eiurata patria Romanorum nomen Agrippenses vocarentur.* Conf. Werseb. p. 5 sq. p. 313. Ledebur. p. 139. — Nomen *conditor* referendum est non ad Agrippam, qui Ubios trans Rhenum transduxit, sed ad Agrippinam, eius neptem; estque hoc nomen apud veteres nomen epicoenon s. promiscuum, et forma *conditrix*, qua utitur Macrobius Som. Scip. I, 11., aevi posterioris; *sui* autem non esse genitivum pronominis possessivi, sed pronomen reflexivum, genitivum obiectivum, bene perspexit Sellingius p. 23. Ita Annal. XI, 24. recte *conditor nostri* Cod. Guelf. et ed. Put. Notanda structurae variatio: Hist. IV, 28. *Romanorum nomen Agrippenses vocarentur.* Hoc loco: *Agrippinenses con-*

CAP. XXIX. Omnium harum gentium virtute praecipui *Batavi*, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, *Chattorum* quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in

---

ditoris sui nomine vocentur. Germ. cap. 2. *e quorum nominibus — vocentur.* — *Experimento fidei* est, propterea quod Romanis fidei experimentum dederant.

CAP. XXIX. *Batavi — bellis reservantur*] Caes. B. G. IV, 10. *Mosa profluit ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonum et parte quadam ex Rheno recepta, quae appellatur Vahalis insulamque efficit Batavorum, in Oceanum influit, neque longius ab Oceano milibus passuum LXXX in Rhenum transit. Rhenus autem oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt et longo spatio per Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribucorum, Trevirorum citatus fertur: et ubi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, multis ingentibusque insulis effectis, quarum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur (ex quibus sunt, qui piscibus atque ovis avium vivere existimantur) multisque capitibus in Oceanum influit.* Tacit. Annal. II, 6. *Insula Batavorum in quam convenirent, praedicta ob faciles appulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursus qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior, et placidior affluens; verso cognomine Vahalem accolae dicunt; mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiusque immenso ore in Oceanum effunditur.* Hist. IV, 12. *Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi extrema Gallicae orae vacua cultoribus simulque insulam nunc Bataviam occupavere, quam mare Oceanus a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.* Plin. H. N. IV, 29. *In Rheno ipso prope centum M pass. in longitudinem nobilissima Batavorum insula et Cannenufatum: et alias Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsaciorum, quae sternuntur inter Helium ac Flevum. Ita appellantur ostia, in quae effusus Rhenus ab septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter haec ore modicum nomini suo custodiens alveum.* Conf. de hoc loco Werseb. p. 100 sq. *Batavorum insula* igitur inclusa fuit Lecca (Leck) et Vahale fluviis, cuius tractus maxima pars hodieque superior et infe-

4 **Non numeraverim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos qui *decumates agros* exercent. levissimus quisque Gallo-**

sare, partem quidem earum, ut videtur, occidentalem, inter dextram Moeni ripam et Taunum usque ad Rhenum exadversum Moguntiaco. Vid. Werseb. p. 50 sqq. Celebrantur fontes Mattiaci calidi. Plin. H. N. XXXI, 2. 17. *sunt et Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum haustus triduo fervet. circa margines vero pumicem faciunt aquae.* Ammian. Marcell. XXIX, 4. *et antegressus contra Mattiacas aquas primus Severus.* Non est dubium, quin significentur thermae Wiesbadenses. *Mattium*, Chattorum caput (Annal. I, 56.) Reichardus p. 270. haud dubitanter habet pro vico *Metz*, sito inter oppida Niedenstein et Gudensberg; Mannertus (Tom. III. p. 191. 460.) pro vico *Maden* ad Adranam. Item Ledebur. p. 211. Ptolemaei (II, 11.) *Ματτιακόν* s. *Ματτιαδόν* videtur esse oppidum *Marburgum* ad Laganam. — *Rhenus* et *veteres termini* sunt idem; nam Rhenus semper est habitus pro termino Romanos inter et Germanos naturâ constituto nec impune ab utravis gente transitus. Respondent Sigambri ap. Caesar. B. G. IV, 16. *populi Romani imperium Rhenum finire.* Particula *que* indicat appositionem. Conf. Rothii synon. p. 47. Hist. I, 55. *ne reverentiam imperii exuere viderentur.* — *In sua ripa*, i. e. in ripa Rheni orientali. — De ingenio ferociore populorum septemtrionem versus habitantium Sen. de Ira II, 16. *in frigora septemtrionemque vergentibus immansueta ingenia sunt, ut ait poeta, suoque simillima caelo.* Locutio *acrius animantur* significat Pichena interprete, acriorem et ferociorem animum gerunt, soli caelique natura. Plin. Paneg. XII, 3. *cum ferae gentes non telis magis quam suo caelo, suo sidere armantur.* Add. Veget. R. M. I, 2. Cic. de Div. II, 42. extr. Vox *adhuc* non est coniungenda cum comparativo *acrius*, sed significat *insuper*, *praeterea*.

non numeraverim — pars provinciae habentur] Pro *numeraverim* Passovius scripturam ante Rhenanum vulgatam *numeramus* defendit. Agri *decumates* (quae forma praeter hunc locum non reperitur) iidem sunt qui *decumani*. Solebant enim Romani etiam libera republica provinciis imperare gravia tributa, in his saepe decimas omnium fructuum ex agris. Cic. in Verr. III, 6. sqq. *omnis ager Sicilae civitatum decumanus est.* Ad illam similitudinem etiam his decumatibus agris decimas Romani imposuerant. At de eorum situ viri docti valde inter se dissentiunt. Maxime tamen probabilis illa est sententia, qua eos inter Danubium Rhenumque ac Moenum sitos fuisse statui-

rum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere. mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

tur. Kirchmaierus ita ad hunc locum: „ferax et fecundus inter Danubium Rhenumque ac Moenum amnes ager audaciores levitate et inopia Gallos ad occupationem sui ἀλλοπροσάλλους illexit. Iam enim Sequani, iam Rauraci, iam Helvetii aliique incursionem fecerant in dubiae possessionis solum; quod ita dicitur, non quasi ad Germaniam non spectasset liquido (continebatur enim intra Germanorum limites Danubium Rhenumque), sed quod a compluribus Galliae nationibus, alias superantibus identidem aliis, aliquamdiu tenetur. Fuerintne autem universim Alemanni dicti, regioque istaec num antiquissima Alemannia, quaestio intricatior est, de qua Cluverius G. A. III, 4. agit.“ Inter Moenum Danubiumque fuisse statuit item Wersebius p. 57—60., iure improbans Mannertum (Tom. III. p. 265 sqq.), cum hos agros existimat partim fuisse secundum Rheni ripam adeo ultra oppidum Neuwied, partim in Suevia, partim ad Danubium, partim denique in ea ipsa regione, in qua sola fuisse Wersebius arbitratur. Eos non per plures regiones dispersos fuisse, sed in eodem tractu coniunctos, ostendit iam appellatio *sinus imperii*, quam recte interpretatur Gronovius Obss. I, 4. *partem ultimam et extremam velut laciniam;* erratque Wersebius cum putat, vocabulum *sinus* semper significare interius quiddam (p. 60. not. 66.) perperamque vertisse Sprengelium *des Reichs Vorland.* Immo ita rectissime. Vid. dicta ad cap. I. de voc. *sinus.* Wilhelmus (p. 290 sq.) eos fuisse credit in utraque Moeni ripa et a meridie quidem Nicro tenus pertinuisse; Wersebius autem negat extentos fuisse in dextram Moeni ripam, ubi habitarent immunes Mattiaci. Verba *dubiae possessionis* non commode ita accipiuntur, ut isti agri ita vocentur, quoniam eorum portiones non a magistratibus publice singulis assignatae fuerint; potius eo spectant, quod talis possessio ob faciles barbarorum incursiones incerta erat et dubia, antequam limite acto promotisque praesidiis firmaretur. — De *limitibus* Muretus ad Annal. I, 50. ita: „Limites imperii erant aut montes aut fluminum ripae aut alia eiusmodi, quibus imperium pop. Rom. a barbaris dirimeretur; interdum etiam ducebantur muri et in eis excitabantur castella, turres, propugnacula et legiones collocabantur, quae praesidio essent et barbarorum incursiones impedirent.“ Proprie in hac re dicitur *limitem agere.* Agrimensorum locos Gronovius ad h. l. collegit. Limes de quo hic Tacitus loquitur, actus est ante Hadrianum, de

CAP. XXX. Ultra hos *Chatti* initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis ut ceterae civitates, in quas Germania patescit, durant: siquidem colles, paullatimque rarescunt; et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque
2 deponit. duriora genti corpora, stricti artus, minax

quo Ael. Spart. c. XI. *per ea tempora et alias frequenter in plurimis locis in quibus barbari non fluminibus sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis barbaros separavit.* Add. Wilhelm. p. 291 sqq. Werseb. p. 55 sqq. Wenckii hist. Hass. II. P. I. p. 31—36. — Si decumates agri ad Rhenum usque pertinuerunt, *provincia* est *Germania cisrhenana*, sin minus, *provincia* est *Raetia.* Probandus igitur est Diltheius cum ait: *aut Germaniae cisrhenanae, aut Raetiae.* — Bekkerus capitis XXX initium facit a verbis: *non numeraverim.*

CAP. XXX. *ultra hos — et maior animi vigor*] Adsentior Wersebio dicenti, quae Tacitus de agris decumatibus disputarit, ea pro interpositis esse habenda. Abrumpit enim Tacitus nonnunquam orationis filum, et quae praetermisit, subiungit. Vid. Werseb. p. 60. not. 67. Oratio igitur hoc capite regreditur ad Mattiacos, *ultra quos* est *initium sedis Chattorum.* — *Initium inchoant*, ut *initio apud Parthos orto* Annal. II, 1. Hist. I, 76. III, 14. *initium coeptum*, Hist. II, 79. — Chatti praefuerunt magno plurium populorum foederi, in quo fuerunt secundum Rhenum habitantes Usipii, Tencteri, Bructeri, quos hic Tacitus simul Chattorum nomine comprehendere videtur. Chattis item subditi fuerunt Marsi et Tubantes, quorum in hoc libello nulla fit mentio. Chatti autem, qui proprie dicuntur, habitarunt ad Adranam (Eder) in Hassia inferiori et Waldecca, ultraque Adranam meridiem versus, nec tamen usque ad Taunum; nam inter Taunum et Chattos habitarunt Marsi ad Laganam. Chatti, qui proprie dicuntur, a meridie finitimos habuerunt Marsos; ab oriente a Suevis disterminabantur saltu inter Werram et Fuldam, qui Caesari B. G. VI, 10. dicitur silva *Bacenis*, medio aevo Buchonia (conf. tamen Reichard. p. 128. et Ledebur. p. 124. not. 454.); a septemtrione vicinos habuerunt Cheruscos; ab occidente Chamavos, quos Dio (LIV, 33. p. 763.) cum Sigambris confundere videtur. Ita Werseb. p. 61 — 63. Add. Wilhelm. p. 181 sqq. Mannert. III. p. 183 sqq. et Grotefend. in Ersch. et Gruberi Encyclopaed. Vol. XVI. Multum ab his recedit Reichardus, qui p. 131. in universum statuit, Chattos prae-

vultus et maior animi vigor. multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. omne ro-

ter electoratum Hassiae etiam tenuisse quantum terrae est inter saltum Thuringicum et silvam Hercyniam, quae nunc dicitur, usque ad Salam Saxonicam, hocque vi et armis expugnavisse, nam primos Thuringiae incolas Suevos fuisse. Idem Reichardus p. 133. contendit inter Chattos et Hermunduros pugnatum esse ad Salam Saxonicam (Tacit. Ann. XIII, 57.), Wersebius autem (p. 70 sq. not. 73.) ad Salam Franconicam, ad quem usque amnem Chattorum fines orientem versus pertinuerint. — Chattorum igitur sedes initium habent ultra Mattiacos, continuantur secundum Hercynium saltum, i. e. silvam Thuringicam (cui attribuenda est etiam silva Adranae et Fuldae interiecta, quae nunc quidem non amplius ei attribuitur) et ultra Chattorum sedes procurrit, declinando orientem versus in silvam Hercyniam, quae nunc dicitur. Ita Diltheius, Wersebius, alii. Reichardus intelligit declinationem meridiem versus prope Saalfeldam. Ledeburius denique p. 3. affirmat non intelligi posse nisi regiones montanas inter Laganam et Luppiam. — In verbis *non ita effusis ac palustribus locis — si quidem colles paulatim rarescunt* agnoscitur imago regionum inferioris Germaniae; quaeque ut Chattorum sedes designantur, Reichardo p. 130. Hassiae et Thuringiae videntur similes esse. *Loca effusa* sunt quae latis campis patent. *Durant*, i. e. agunt, vivunt, adiuncta patientiae notione, quod etiam colligitur e verbis quae sequuntur, *duriora genti corpora;* nisi *durant* referre malis ad illa verba *initium sedis inchoant.* Contra omnes codd. Rhenanus locum ita mutavit: *durant siquidem colles paulatimque rarescunt*, quam mutationem etiam Bötticher in Lex. Tac. et Bekkerus probaverunt. Nos cum Passovio veterem interpunctionem revocavimus. *Si quidem* i. q. quandoquidem, itemque praeponitur Agricol. 24. *Stricti artus*, derbe, gedrängte Glieder, qui opponuntur *fluentibus*, *flaccidis*, *pandiculantibus*, ut recte Diltheius.

Multum, ut inter Germanos — quam in exercitu] Id non tam per contemptum est dictum, quam particula *ut* vim vocabuli *multum* restringit ad captum ceterorum Germanorum, quibus Chatti ratione et sollertia praestent. Quae se-

tum demum pretia nascendi retulisse dignosque patria ac parentibus ferunt. ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum ge-
3 stat, donec se caede hostis absolvat. plurimis Chattorum hic placet habitus; iamque canent insignes et

Bötticher. in Lex. Tac. Add. Rhenan. ad h. l. — De Civile Batavorum duce Hist. IV, 61. *Civilis barbaro voto post coepta adversus Romanos arma propensum rutilumque crinem patrata demum caede legionum posuit.* Super cruenta hostis caesi spolia *revelant frontem*, i. e. barbam radunt crinemque tondent. Hunc omnem et Chattorum et Batavorum morem ad religionem refert Moneius, p. 21. — Verba *pretia nascendi* Longolius male interpretatur res ob quas operae pretium fuerit nasci. Eiusmodi sane res sunt, quae Plinius Epist. I, 12. 4. appellat *pretia vivendi*; sed locus Plinii non potest cum loco Taciti comparari. *Retulisse* i. q. ἀποδοῦναι, eodem modo usurpat Sueton. de illustr. Gram. c. 15. *pretium domino suo retulisse.* Locus ita vertendus: dann erst glauben sie den Preis für die Geburt bezahlt zu haben. De *squalore* Gellius N. A. II, 6. *quicquid nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id squallere dicebatur. Sic in corporibus incultis squamosisque alta congeries sordium squallor appellatur.* De verbo *squalere* conf. etiam I. H. Vossius ad Virgil. Georg. II, 348. p. 392. — Ut hic verba *ignominiosum id genti*, ita similiter nonnulla mediae orationi sunt interposita his Taciti locis, quos Hessius in Com. I. p. 33. ex Dronkii notis ad Agricol. p. 68. attulit: Hist. II, 4. *sacerdotis id nomen erat.* III, 45. *is fuit maritus.* Annal. I, 56. *id genti caput.* Quibus modis alii populi ad fortitudinem suos excitaverint, declarat locus Aristotel. Polit. VII, 2. ab Hessio Com. I. p. 33. repetitus. „Pro maxima contumelia occisioni fere aequanda habebatur liberum vincire. Rotharis Leg. §. 42. *si quis hominem liberum ligaverit absque iussione regis sine causa, duas partes pretii ipsius, ac si eum occidisset, ei componat.*" Orell. *Se absolvat* scil. ignominia. Locus Ciceron. Verr. IV, 45. huc non pertinet.

hic placet habitus — mansuescunt] Verba *hic habitus* ad solum sunt referenda annulum ferreum, quem plurimi non ponunt post hostem caesum, cum possint, sed, in perpetuum se fortitudini obligantes, ad canam usque senectutem servant, ut etiam senes isto modo sint conspicui atque in

hostibus simul suisque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum; haec prima semper acies, visu nova. nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. nulli domus aut ager aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

CAP. XXXII. Proximi Chattis certum iam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, *Usipii* ac *Tencteri* colunt. Tencteri super solitum bellorum

bello ab hostibus, in pace a suis tamquam viri fortissimi digito monstrentur. Cum dicit *monstrati*, ante oculos videtur habuisse locos qualis est Horatii Od. IV, 3. 22. *quod monstror digito praetereuntium.* Conf. ad h. l. Mitscherlichius. — Scriptura *visu nova* frustra est tentata. Etiam Bekkerus in edit. 1825. asciverat Berneggeri coniecturam *visu torva.* Chatti, qui in acie instruenda ordines novant, viros hosce horribili et novo, i. e. insolito aspectu insignes ante alios collocabant, ut pugnae initium facerent; nam ut est cap. 43. *primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.* Coniunctio nam referenda est ad verba *iamque canent — monstrati.* Tum pro *vultu* praefero lectionem Cod. Arund. *cultu.* Quamquam enim *vultus* poni potest pro aspectu, non tamen omnem corporis, sed solius oris aspectum significare potest; et hoc loco maxime respicitur ad annulum, quem non in ore gestabant. Accedit quod cultu res hominesque mansuescunt, et *cultus mitis* est, qui animum mitem indicat. Ceterum ut hic vocabula *habitus* et *cultus* separatim sunt posita, ita eadem coniunguntur Annal. I, 10. II, 59. Tamen etiam *habitu vultuque* Hist. I, 17. II, 52.

CAP. XXXII. *certum iam alveo Rhenum — Usipii ac Tencteri colunt*] Mela III, 2. 8. *Rhenus ab Alpibus decidens prope a capite duos laeus efficit, Venetum et Acronium. Mox diu solidus et certo alveo lapsus haud procul a mari huc et illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiam tum, et donec effluat, Rhenus; ad dextram primo angustus et sui similis, post ripis longe ac late recedentibus iam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, eiusdemque nominis insulam amplexus fit iterum arctior iterumque fluvius emittitur.* — *Usipii*, ut Annal. XIII, 55. Hist. IV, 37., *Usipetes* Annal. I, 51. Caes. B. G. IV, 1. et 16., primas sedes secundum Ledebur. p. 53. habuerunt ad Rhe-

decus equestris disciplinae arte praecellunt; nec maior apud Chattos peditum laus quam Tencteris equi-
2 tum. sic instituere maiores; posteri imitantur. hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio; perseverant senes. inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox, bello et melior.

CAP. XXXIII. Iuxta Tencteros *Bructeri* olim

num medium in Rhenogavia (Rheingau) ad rivum *Visper*. Ptolemaei Vispos (II, 11.) esse eosdem. Quod negat Reichard. p. 27. Add. Wilhelm. p. 138 sq. Mannert. p. 153 sq. Wersebius p. 75 sq. eos collocat circa Usingam inter Taunum et Laganam amnem, ultraque hunc amnem usque ad Nistriam (Westerwald). De eorum fatis conf. Caesar B. G. IV, 1 — 19. VI, 35. Memorabile eorum facinus narrat Tacitus in Agric. 28. Add. Martial. VI, 60. — *Tencteri* habitarunt in ducatu Montensi, ut a septemtrione attingerent Bructeros, a meridie Sigambros, ab oriente iugum illud quod adhuc ducatum Montensem ab australi comitatus Marchiae et ducatus Westphaliae parte dividit. Conf. Werseb. p. 75 sqq. Mannert. III. p. 153. 180. Reichard. p. 26. 31. Wilhelm. p. 140 sqq. Ledebur. p. 161 sqq. Memorabilis est dictio *colunt Rhenum* pro *accolunt*.

equestris disciplinae arte — bello et melior] Recte Gutmannus vertit: sie zeichnen sich aus durch eine trefflich geübte Reiterei. *Familia* h. l. servi, *penates* aedificia et quicquid iis continetur. *Iura successionum* complectuntur omnia, quae per hereditatem ad novos possessores transmitti possunt. *Equos* e numero aliarum rerum, quae per hereditatem ad novos possessores transeunt exemptos accipit (*excipit*) ille filius qui prae ceteris est *ferox, bello et melior.* Sic hic locus est interpungendus, neque verba *ferox bello* sunt coniungenda, quamquam est apud Horat. Od. I, 32. 6. *ferox bello.* Neque opus est ut cum Mureto scribatur *ferox et bello melior.* Immo particula *et* est postposita. Vid. notata ad Annal. I, 4. Sic saepe *καὶ* postponitur, ut apud Thucyd. I, 9. *βουλομένων καὶ τῶν Μυκηναίων.* I, 44. *γενομένης καὶ δὶς ἐκκλησίας.* I, 71. *πολλῆς καὶ τῆς ἐπιτεχνήσεως δεῖ.* *Ferocia*, Muth als eine natürliche, auch dem Thier eigene Kraft, die in blindem Ungestüm keine Gefahr kennt. Conf. Doederlin. Synonym. I, p. 44.

CAP. XXXIII. *Bructeri olim — ac penitus excisis*] De Bructeris praeclarum librum quem iam saepius laudavimus,

occurrebant: nunc *Chamavos* et *Angrivarios* immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis vi-

edidit *Leopold de Ledebur* ita inscriptum: Das Land und Volk der Bructerer etc. Berolini, 1827. 8. Bructeri habitarunt in utraque Luppiae ripa, minores in ripa australi, maiores in septemtrionali. Fuerunt enim divisi in maiores et minores. Strabo VII, 1. 3. *ἐπὶ ταὐτὰ τῷ 'Αμασίᾳ φέρονται Βίσουργίς τε καὶ Λουπίας ποταμὸς διέχων Ῥήνου περὶ ἑξακοσίους σταδίους, ῥέων διὰ Βρουκτέρων τῶν ἐλαττόντων.* Conf. Ledebur p. 170 sqq. Mannertus p. 160. statuit Bructerorum fines pertinuisse ab occidente ad Vidrum (Vecht), a meridie ad Luppiam, ab oriente prope ad Visurgim, a septemtrione ad Frisios et Cauchos. Add. Reichard. p. 24 sqq. Wilhelm. p. 126 sqq. Werseb. p. 80. vult eos incoluisse secundum Rhenum ad Luppiam inferiorem usque ad huius amnis ostium. *Chamavi* habitarunt in dextra ripa Rheni inferioris et ad Iselam. Conf. Ledebur. p. 65 sqq. qui aliorum sententias examinat, maxime Wersebii eos p. 87. not. 89. collocantis in parte Luppiae superioris australi. Dio Cass. LIV, 33. *τόν τε Ῥῆνον ἐπεραιώθη καὶ τοὺς Οὐσιπέτας κατεστρέψατο· τόν τε Λουπίαν ἔζευξε καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε καὶ δι' αὐτῆς καὶ ἐς τὴν Χερουσκίδα προεχώρησε μέχρι τοῦ Οὐϊσούργου.* Quo loco Dio iudice Wersebio p. 86. sq. Sigambros confudit cum Chamavis. *Angrivarii* habitarunt in comitatu Ravensbergico. Nomen oppiduli *Enger* ab iis dicitur, ipsi forsitan inde sunt dicti, quod sedes eorum angustis terminis includerentur. Conf. Werseb. p. 90 sq. Mannert. p. 278 sqq. Wilhelm. p. 162 sqq. Accuratissime eorum terminos descripsit Reichard. p. 63 sqq. Ut hic *Chamavos immigrasse narratur*, ita eadem structura Annal. I, 10. *dicebatur contra, pietatem erga parentem et tempora rei publicae obtentui sumpta.* Hist. I, 50. *ut tantum superioris Germaniae exercitum descivisse crederetur.* 90. *quando — Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur.* IV, 58. *Titum — multo apud patrem sermone orasse dicebatur.* Conf. Drakenborch. ad Liv. I, 31 ubi §. 8. in Voss. sec. pro *tradunt* scriptum est *traditur.* Ramshorn. Gr. lat. p. 633 sq. — Haec Bructerorum clades accidit aut adhuc sub Nervae principatu, aut primo alterove anno principatus Traiani (98—117). Conf. Ledebur. p. 240. Cumque Tacitus scribat *nunc Chamavos — narratur*, rem sibi non certo constare significat. Re vera Bructeris cladem illatam esse, quod negant Mannertus III. p. 108. 162. et Wilhelm p. 127., non dubitat Werseb. p. 82. In maius tamen rem esse auctam, neque caesa 60 milia aut omnem gentem sedibus suis depulsam, certum est. Nam postera etiam

cinarum consensu nationum; seu superbiae odio seu praedae dulcedine seu favore quodam erga nos deorum.
2 nam ne spectaculo quidem proelii invidere. super LX milia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt.
3 Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam.

CAP. XXXIV. Angrivarios et Chamavos a tergo *Dulgibini* et *Chasuari* cludunt aliaeque gentes haud

aetate in iisdem sedibus Bructeri agunt, ad idemque cum clade tempus videtur pertinere, quod narrat Plinius Epist. II, 7. *nam Spurinna Bructerum regem vi et armis induxit in regnum, ostentatoque bello ferocissimam gentem, quod est pulcerrimum victoriae genus, terrore perdomuit.* Add. etiam Diltheius ad h. l.

ne spectaculo quidem proelii invid. etc.] Argenteae aetatis est *invidere alicui aliqua re.* Lucan. VII, 798. *invidet igne rogi miseris.* Conf. Ruddimann. P. II. p. 144. I. F. Gronov. ad Annal. I, 22. Interpret. ad Plin Ep. I, 10. 12. Ramshorn. gr. lat. p. 345. Böttich. in Lex. Tac. s. v. — *Oblectationi oculisque* est dictum per hendiadyn, ad oblectationem oculorum. Conf. Rothii synon. p. 38. — Passovius optimorum testium auctoritate scripsit *in urgentibus imperii fatis.* Alii habent *urgentibus* sine praepositione; alii *in vergentibus*, alii omittunt *in;* alii *urgentibus iam*, alii *iam urgentibus.* I. Gronovius hanc scripturam concinnavit: *iam vergentibus.* Güntherus servata Passovii scriptura verae latinitatis studiosos attentos reddit ad elegantem non solum, sed subtilem praepositionis usum. Ego vero hanc elegantiam subtilitatemque adeo non perspicio, ut mihi quidem participium praepositionem *in* respuere videatur, Tacitumque scripsisse credam *ingruentibus.* — Denique Süvernus (über d. Kunstcharakt. des Tacitus p. 92. 127 sq.) monuit, Tacitum hoc loco in rerum humanarum moderatione coniungere deos fortunamque, atque utrisque eandem vim assignare.

CAP. XXXIV. *Angrivarios — lacus navigatos*] *A tergo*, i. e. meridiem versus; *a fronte*, i. e. septemtrionem versus. *Dulgibini* habitarunt ad medium Visurgim contermini Angrivariis a meridie; *Chasuari* qua Rura amnis in Rhenum effunditur, contermini Chamavis a meridie. Ita Ledebur. p. 67 sq.

perinde memoratae; a fronte *Frisii* excipiunt. *maioribus minoribusque Frisiis* vocabulum est ex modo virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno 2
praetexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus et

102. Etiam Reichardus p. 71. *frontem* intelligit latus boreale, *tergum* latus australe versus Luppiam inferiorem. Wersebius autem (p. 92 sqq.) primum reiicit eorum opinionem, qui *tergum* intelligunt latus orientale, *frontem* occidentale, et utrumque nomen referunt ad Angrivarios et Chamavos, horumque populorum sedes sic describunt, ut Angrivarii et Chamavi ab oriente Dulgibinos et Chamavos vicinos habuerint. Hoc enim falsum esse, cum Angrivarii et Chamavi ab oriente Chaucos et Cheruscos contiguos habuerint. Quamobrem ipse nomina *tergum* et *frontem* ad Dulgibinos et Chasuaros refert locumque sic intelligit: Dulgibini (in episcopatu Monasteriensi circa Dulmen) et Chasuari (in Hasam in episcopatu Osnabrugensi) suo tergo, i. e. ab oriente claudunt Angrivarios et Chamavos, a fronte, i. e. ab occidente confines habent Frisios (in comitatu Zutphaniensi et provincia Transisalana). — *Frisii* secundum Wersebium p. 100. tenuerunt Hollandiam septemtrionalem, agrum Traiectensem, Frisiam, provinciam Transisalanam et comitatum Zutphaniensem. Ex descriptione Mannerti p. 270. habuerunt a parte occidentali Rheni ostium orientale insulasque quas ambit, a septemtrione oceanum, ab oriente Amisiam, a meridie, ut videtur, Vidrum. Add. Reichard. p. 37 sq. Wilhelm. p. 148 sqq. Porro Wersebius l. c. non accedens Mannerto neganti (p. 272.) Frisios in maiores et minores divisos fuisse, utrorumque fines accuratius ita designat, ut maiores Frisii etiam ultra Isalam prope ad Vidrum usque habitarint, minores in paludosis Hollandiae septemtrionalis regionibus atque inferiori agri Traiectensis parte. *Rhenus*, quo *praetexuntur*, non est Isala, quam pro Rheni parte habent Plinius et Mela, sed ipse Rhenus extremus sive Leccus et qui inferius dicitur der krumme Rhyn. Conf. Werseb. p. 98. et not. 54. Commemorat Tacitus *lacus immensos* numero plurali, quos classes Romanae navigarint; id quod convenit in solum sinum Austrinum (Zuydersee). Etiam Germanicus Ann. I, 60. II, 8. dicitur navigasse per lacus, qui per eundem sinum navigavit. Item Plinius IV, 29. 15. (qui locus a nobis ad cap. 29. est repetitus) Flevum, i. e. die Yssel, in lacus ait se effundere. Igitur Tacitus et Plinius sinum Austrinum pro pluribus lacubus cohaerentibus habuerunt. Non ita Mela III, 2. 8. quem locum cap. 32. apposuimus. Vid. Werseb. p. 99. — Generalis Frisiorum appellatio comprehen-

9

Romanis classibus navigatos. ipsum quin etiam Ocea-
3 num illa tentavimus. et superesse adhuc Herculis co-
lumnas fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu quic-
quid ubique magnificum est, in claritatem eius referre
4 consensimus. nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. mox nemo tentavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.

dit complures gentes minores. Ex Taciti Hist. IV, 56. novimus Marsacos, quorum sedes videntur fuisse in agro Traiectino circa Maarsen in dextra Rheni parte. Plinius l. c. insuper memorat Frisiabones in Hollandia, ut videtur, septemtrionali, Sturios circa Stavern in Frisia, et Frisios minorem gentem communi appellatione comprehensam in superiore agri Traiectini parte, provincia Transisalana et comitatu Zutphaniensi. De rebus Frisiorum eorumque ad Romanos relatione conf. Diltheius ad h. l. et Werseb. p. 102. not. 106.

Oceanum illa tentavimus — inquiri] Quae de Romanorum navigationibus in mari septemtrionali usque ad Taciti aetatem innotuerunt, ad hunc Taciti locum collegit Diltheius. — In verbo *tentandi* non inest notio audaciae, sed in rei, quae tentatur, natura. Ita ap. Horat. Od. I, 28. 5. *aerias tentasse domos.* Virg. Aen. V, 499. *ausus, et ipse manu iuvenum tentare laborem.* — De septemtrionalibus Herculis columnis conf. Ukerti geograph. P. I. p. 216. II. 306. Mannertus p. 286. suspicatur, Romanos prope Rheni ostia ab oriente veras Herculis manu positas columnas investigasse. Moneius p. 22. intelligi posse opinatur sacra in insulis Seelandicis, et deam Nehalenniam, quorum numinum monumenta saxea ibi sint reperta. — Non continuo scriptura *magnum* prae vulgata *magnificum* est reiicienda, quamquam scripsit Tacitus in Agricol. c. 30. *omne ignotum pro magnifico est.* Nam Herculi maxime conveniunt *magna*, i. e. periculosa. — Scriptura *consensimus* tot auctoritatibus nititur, ut sententiae bonitate accedente non audiendus sit, qui *consuevimus* commendare velit, quamquam hoc per se non inepte dicitur. Nec tamen necesse est, ut *consensimus* referatur ad Graecos Romanosque, cum universe *nos homines* intelligi possit. — Reliqui *Druso Germanico.* Nonnulli commate post *Druso* orationem distinguunt, ut sit asyndeton. De consuetudine nomina propria sine copula componendi citat Hessius in com. I. p. 35. Cic. de offic. II, 17. cum annot. Heusing. et Beier.

CAP. XXXV. Hactenus in Occidentem Germaniam novimus. in Septemtrionem ingenti flexu redit. ac primo statim *Chaucorum* gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem littoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in
Chattos usque sinuetur. tam immensum terrarum spa- 2
tium non tenent tantum Chauci, sed et implent, po-

Brut. 42. Ellendt. Vell. Pat. II, 39. Kraus. Freinshemius scribi iussit *Druso et Germanico*. Gutmannus in versione germanica defendit *Druso Germanico*, cum hic non de expeditione bellica, sed de itinere novarum rerum cognoscendarum caussa suscepto sermo sit, et Drusus Hist. V, 19. Drusus Germanicus appelletur. Ledebur. p. 179. intelligit Germanicum minorem, qui anno 16 p. Ch. in oceano septemtrionali naufragium fecit; Tacitum enim, si Drusum maiorem intellexisset, non additurum fuisse, post hunc neminem hunc oceanum tentasse. Hanc sententiam ego quoque amplector. — Ernestius non potuit indicare locum, ubi similis structura verbi *obsistendi*, ut in verbis *obstitit Oceanus in se — inquiri*, cum infinitivo pro *quo minus* reperiatur. Neque ego possum. Analogia quidem haec dictio non destituitur. Ita Cic. Attic. 16, 15. *desperatis rebus Hippocrates vetat adhibere medicinam.* Virgil. Aen. VI, 808. *aut metus Ausonia prohibet consistere terra.* Add. Boetticher. in Lex. Tac. p. 266 sq. 269. et *Roth.* grammatt. quaestt. e C. Corn. Tac. repetitt. c. V.

CAP. XXXV. *Chaucorum gens — implent*] *Chauci* tenuerunt Frisiam orientalem, comitatum Oldenburgicum et Delmenhorstanum, inferiorem episcopatus Monasteriensis partem, comitatum Diepholtanum Hoyensemque, et septemtrionalem episcopatus Mindensis partem; quae terrae Frisiorum, Chasuariorum et Angrivariorum finibus obtenduntur. Eosdem trans Visurgim tenuisse ducatum Bremensem et Verdensem, vel inde constat, quod eorum fines ad Albim usque fuerunt finitimi. Divisi fuerunt in maiores inter Amisiam et Visurgim, et minores inter Visurgim et Albim incolentes. Conf. Werseb. p. 105. Mannert. p. 275 sqq. Wilhelm. p. 154 sqq. Reichard. p. 38 sqq. Hic, ut Diltheius, Ptolemaeum (II, 11.) sequitur, minores collocantem inter Amisiam et Visurgim, maiores inter Visurgim et Albim. De Chaucis restant, ut videtur, nomina *Cuxhaven*, i. e. Chaucorum portus, et *Quackenbrück*. Chaucorum terram Plinius, qui aliquamdiu inter eos vixit, accurate describit H. N. XVI, 1. 2. De hoc Plinii loco et Chaucorum rebus conf. Diltheius ad Tacit. loc. et Werseb. p. 105. not. 110. — Ne

pulus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla provocant bella,
3 nullis raptibus aut latrociniis populantur. idque praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per iniurias assequuntur. prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque: et quiescentibus eadem fama.

hoc *donec in Chattos usque sinuetur* falso dictum esse videatur, Mannertus p. 277. monuit tenendum esse, Cheruscos a Chaucis de occidentali Visurgis ripa depulsos esse, cum Ansibarios (Annal. XIII, 55.) et forsitan alios nonnullos Cheruscorum populos ulteriùs meridiem versus secundum Visurgim habitantes pepulerint. Ledebur. p. 103. credit Chattos apud Tacitum h. l. positos esse pro Chasuaris. Aliter sentit Werseb. §. 27. p. 109. — *Sed et implent.* Contrarium de Africae interioris incolis Mela I, 4. 4. *habent potius terras quam habitant.*

inter Germanos nobilissimus — quiescentibus ead. fama] Verba *inter Germanos* per se sola sunt accipieuda neque cum superlativo coniungenda. Ita Cic. pro Rosc. Amer. §. 16. *honestissimus inter suos numerabatur.* — Coniunctivus *malit* positus est non, ut vult Güntherus, ut e mente scriptoris, sed propter pronomen relativum, et *quique malit* i. q. *et talis ut malit;* estque hic locus e genere eorum quos congessit Ramshorn. in gram. lat. p. 734. *Cupiditas*, πλεονεξία, Vergrösserungssucht; *impotentia*, ὕβρις, est eius qui sibi temperare nesciens alios contumeliose et insolenter tractat. Ita cap. 36. *inter impotentes.* — Locutione *provocare bellum* utitur etiam Plin. Paneg. 16. *non times bella, nec provocas.* Tacit. Hist. II, 61. *provocare arma Romana.* De Chaucis Annal. XI, 19. *sed caede eius motae Chaucorum mentes, et Corbulo semina rebellionis praebebat.* Hist. IV, 79. *namque et Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantissima cohortium suarum integra, quae ex Chaucis Frisiisque composita Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat.* — In proximis revocavi cum Bekkero interpunctionem ante Passovium vulgatam et comma posui post *poscat.* Formulae, qualis haec est, *res poscit*, sine obiecto, quod vocatur, usurpantur. Sellingius p. 24. hos attulit locos: Sallust. Iug. 35, 6. *ubi res postulabat.* 70. *uti res posceret.* 85. *si res postulat.* Nep. Alcib. 1. *quum tempus posceret.* Tacit. Hist. II, 5. *si res posceret.* Germ. 44. *ut res*

CAP. XXXVI. In latere Chaucorum Chattorumque *Cherusci* nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. idque iucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes et validos falso quiescas; ubi

poscit. Etiam Cic. Tuscul. I, 21. 47. *si res postularet.* Atque ne dicitur quidem commode *res poscit exercitus.* Ex vulgata interpunctione tantum abest ut, quod Walchio in Emendatt. Liv. p. 124. videtur, postrema verba *plurimum virorum equorumque* frigide apposita sint, ut summa sit orationis alacritas; arcte enim haec verba cum nomine *exercitus* cohaerent, et Tacitus hoc vult: si res poscat, exercitus prompti sunt, iique non parvi, sed copiosissimi. De locutione *viris equisque*, quae et proprie et proverbialiter usurpatur, consulendus est Beierus ad Ciceron. Offic. III, 116. p. 407. Etiam hoc recte est observatum a Sellingio in Obss. ad Agric. p. 20: scriptores Romanos barbarorum agmina fere non appellare *exercitus.* — Denique *quiescere*, ut cap. 36. et Hist. I, 16. est *pacem agitare.*

CAP. XXXVI. *Cherusci — nomina superioris sunt*] In describendis Cheruscorum finibus geographi valde inter se dissentiunt. Hoc est certum, discrimen esse faciendum inter Cheruscos, quatenus sint gens peculiaris hoc nomine insignita, et Cheruscos tamquam foedus plurium gentium. Conf. Wilhelm. p. 191. et Ledebur. §. 8. p. 117. — Cherusci qui proprie dicuntur, habitarunt ad saltum Hercynium, unde sunt dicti Cherusci, i. e. Haerzker, Bewohner des Harzgaues; Cherusci qui foederi fuerunt adscripti, incoluerunt in utraque Visurgis ripa. — Wersebius p. 108. fines sic descripsit: Cheruscis ab oriente terminus fuit silva Hercynia, quam nunc vocamus Harz. Ab occidente Arminii aetate fines pertinuerunt ultra Visurgim, ut agrum Luppiensem comprehenderent. In eorum finibus adversus ipsorum incursiones castellum Aliso (Annal. II, 7.) a Romanis exstructum fuit; item Irmensula in iisdem fuit finibus, qua Chamavos et Chattos attingebant, ibidemque magna illa pugna adversus Varum est pugnata. A Suevis disterminabantur ingenti silva, quae dicitur Bacenis, referente Caesare B. G. VI, 10. quae hodie vocatur *Harz.* (Conf. Reichard. p. 92.) A Reichardo p. 93. hi fines ita designantur: versus septemtrionem et caurum pertinuerunt usque ad Alaram. Quo tempore opibus maxime floruerunt, ad Arminii usque mortem; in superiore Alarae parte ab ostio Lyni (Leine) et inferiore Orae (Ohre) parte Langobardos vicinos habuerunt. Orientem et meridiem versus pertinuerunt usque ad Albim,

manu agitur, modestia ac probitas nomina superio-
2 ris sunt. ita, qui olim *boni aequique* Cherusci, nunc *inertes ac stulti* vocantur: Chattis victoribus

qua Sala infunditur, item ad Melibocum, in cuius tamen latere australi non habitarunt. Occidentalis terminus extensus fuit in occidentalem Visurgis ripam. Add. Mannert. p. 94 sq. p. 205. Wilhelm. p. 191 sqq. Diltheius ad h. l. — *Marcens pax* est quae hominum animos marcidos languidosque reddit. Conferri potest cum hac dictione locus Ciceron. Off. III, 1. 3. *nec solitudinem languere patior*. Vocula *diu* pertinet ad verba *illacessiti nutrierunt*, eodemque modo *semper* est collocatum in loco Terent. Andr. I, 2. 4. *heri semper lenitas verebar quorsum evaderet*. Quantum in verbis collocandis Tacitus numeri caussa sibi permittat, de eo conferas dicta ad Annal. I, 4. XI, 18. — *Falso quiescas*, i. e. pravo et perverso consilio quiescas, quoniam e quiete pericula nascuntur. *Ubi manu agitur*, i. e. ubi vi et armis, non iure agitur. „Cheruscos ait pace longa et a nemine turbata in torporem segnitiamque solutos armorum curam intermisisse imprudenter et maiore cum sua voluptate ad tempus, quam in perpetuum securitate. Nam qui circumdatus hominibus ad iniuriam promptis et robustis marcet nec se parat adversus ea, quae nec opinanti possunt ingruere, non tam quietus est, quam obnoxius. Igitur in his quoque tum bonitas videbatur et modestia, contentos suis et nemini graves esse. Et mansisset illis ea existimatio, si post diuturnum illud otium tandem lacessiti fortiter restitissent et statum tenuissent. Postquam vero succubuerunt, ne prius quidem bene considerata ratione ac tranquillitate insita, sed pravitate consilii et taedio belli laborum quiesse feruntur. Etenim ubi maiorem partem res vi tractantur (ut inter bellicosos Germaniae populos), non qui sedent, incerto possintne an nequeant μέγα τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι patrare, probi et modesti censentur, sed qui cum plus valeant et superiores sint, sibi temperant. *Ita* factum, ut *qui olim boni aequique Cherusci* (dum rebus secundis in alta pace fruuntur et ferociam dediscunt) vocabantur, *nunc* (postquam prosperis corrupti et emolliti atque ad vim sustinendam imparati Chattis cesserunt) *inertes ac stulti vocantur*.“ *F. Gron.* De vi vocabuli *modestiae*, quae h. l. opponitur *impotentiae*, conf. Garvius ad Cicer. Offic. I, 5. p. 12. et Beier. ad Offic. I, 40. 142. *Nomina superioris*, i. e. virtutes quae in superiore seu validiore laudantur.

fortuna in sapientiam cessit. Tacti ruina Cheruscorum et *Fosi*, contermina gens, adversarum rerum ex aequo socii, cum in secundis minores fuissent.

CAP. XXXVII. Eundem Germaniae sinum proximi Oceano *Cimbri* tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. veterisque famae lata vestigia manent,

fortuna in sapientiam cessit — minores fuissent] Id est, quod fortunae debuerunt, eorum sapientiae tributum est. — Quae Tacitus hic de clade Cheruscis a Chattis illata verbo memorat, eodem pertinent quae narrat Dio LXVII, 5. *Χαριόμηρος δὲ ὁ τῶν Χερούσκων βασιλεὺς ὑπὸ Χάττων ἐκ τῆς ἀρχῆς διὰ τὴν πρὸς Ῥωμαίους φιλίαν ἐκπεσὼν τὸ μὲν πρῶτον ἑταίρους τινὰς παρέλαβε καὶ κρείττων ἐν τῇ καθόδῳ ἐγένετο. ἔπειτα ἐγκαταλειφθεὶς ὑπ᾽ αὐτῶν, ἐπειδὴ ὁμήρους τοῖς Ῥωμαίοις ἔπεμψε, τὸν Δομιτιανὸν ἱκέτευσε· καὶ συμμαχίας μὲν οὐκ ἔτυχε, χρήματα δὲ ἔλαβε.* Conf. Werseb. not. 45. Ledebur. p. 129. Etiam Langobardi ad vires Cheruscorum frangendas multum videntur contulisse. Conf. Tacit. Annal. XI, 17. Mannert. p. 175. — *Tangi ruina* dicitur, ut *fulmine tangi*, et qui aliena ruina tangitur, ipse quoque laeditur. Ita mutatio *tracti* admitti non potest. — *Fosos*, qui ex hoc solo loco innotuerunt, habitasse ad fluvium Fusam in agro Cellano, indeque esse nominatos, iam non dubitatur. Conf. Leibnitz. script. rer. Brunsw. Tom. I. p. 12. not. 9. quem citat Werseb. p. 114. not. 121. Add. Ledebur. p. 120. — Fuerunt *minores* Cheruscis, i. e. infirmiores. Ita cap. 39. *ut minor*. Perperam Güntherus ad *minores* intelligit *quam ex aequo*.

CAP. XXXVII. *eundem Germaniae sinum Cimbri — magni exitus fidem*] Intelligitur ea Germaniae pars, quae cap. 35. in septemtrionem ingenti flexu redire dicitur. De vocab. *sinus* conf. annotata ad Cap. 1. Gronovius probat *situm*, quae scriptura exstat in codd. Long. Vat. Arundel. et a nonnullis editoribus est recepta. Eadem vi a Graecis usurpatur *τόπος*, ut a Demosthen. Phil. I, 9. 2. *εἰς τὸν τόπον τῆς χώρας*, i. e. *εἰς τὴν τοποθεσίαν τ. χ.* Gronovius citat notam suam ad Plin. H. N. XXI, 45. 13. Verum ut recte apud Plinium scribitur *in eodem Ponti situ*, sic item recte apud Tacitum *sinum.* Homines enim non possunt dici *terrae situm tenere;* immo homines tenent terras, et terrarum est situs. — Hi *Cimbri* cum dicantur *parva nunc civitas,* Taciti tempore non tenuerunt totam Chersonesum, sed tantum, ut videtur, Dithmarsiam, partem Holsatiae quae proprie dicitur, item Stormariam. Chersonesus ipsa appel-

utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem.
2 sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone coss. ex quo si ad alterum imperatoris Traiani

latur a Plinio IV, 27. 13. *Cartris*, eiusque pars extrema *promontorium Cimbrorum*, unde initium *sinus immanis*, qui *Codanus* (Ostsee) vocatur. Werseb. p. 116. Accuratissime de Cimbrorum exitu disputat Reichardus p. 51 sqq., qui non dubitat, quin Taciti Cimbri eorum Cimbrorum qui ante plus quam ducentos annos in Italiam incursione facta denique a Mario fuerint victi, reliquiae fuerint. Idem tamen Wersebio (p. 117.) non satis certum videtur. — *Gloria* est ablativus. — *Lata vestigia* sunt ipsa in *utraque ripa castra ac spatia*, i. e. castra spatiosa, sive castrorum spatia (conf. Rothii syn. p. 38.), itaque ea quae occupant plurimum soli. Mutatione Rhenani *late*, quam etiam Bekkerus adoptavit, opus non est, quodque is voluit, id inest in verbis *utraque ripa*, quae verba haud dubie spectant ad ripam Rheni et Danubii. Nam quomodocumque statuitur de profectione Cimbrorum, hoc certum est, eos et Rhenum et Danubium attigisse et superasse. Verba *molem manusque gentis* ita intelligo: magnum numerum hominum manuumque, quibus castra sunt posita. Etiam *magnus exitus* est magnus numerus exeuntium. Cui explicationi qui obstet latinitas, non video.

sexcentesimum et quadragesimum — oriens obiecerit] Secundum aeram Catonianam s. Capitolinam est annus 640. Secundum Varronianam C. Caecilius Metellus Caprarius et Cn. Papirius Carbo consules fuerunt 641 = a. Chr. 113. Ab hoc anno ad alterum Traiani consulatum a. u. c. 850 (851) = p. Chr. 98 anni 210 effluxere. Hoc tempus paullo post appellat *medium tam longi aevi spatium*. — *Tam diu Germania vincitur*. Flor. IV, 12. de Augusto: *Germaniam utinam vincere tanti non putasset! magis turpiter amissa est, quam gloriose acquisita*. Similiter ut Tacitus, Livius IX, 3. *quem per annos iam prope XXX vincimus*. — Vell. II, 8. *Tum Cimbri et Teutoni transscendere Rhenum, multis mox nostris suisque cladibus nobiles*. — *Samnis*. Clades apud Caudinas furculas accepta est T. Veturio Calvino II., Spurio Postumio Albino II. coss. a. u. c. 432 (433) = a. Chr. 321. Vid. Liv. IX, 2. sqq. Conf. Beier. ad Cic. Offic.

consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. tam diu Germania vincitur. medio tam 8 longi aevi spatio multa invicem damna. non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere. quippe regno Arsacis acrior

I, 12. 38. p. 92. III, 30. 109. p. 389. Cum *Poenis* s. Carthaginiensibus pugnatum est primum ab a. u. c. 490 ad 513 = a. Chr. 264 ad 241; secundum ab a. u. c. 536 ad 553 = a. Chr. 218 ad 201; tertium ab a. u. c. 605 ad 608 = a. Chr. 149 ad 146. — *Hispaniae.* Conf. Flor. II, 11. ibique Freinshem. Viriathus ex pastore venator, e venatore latro, mox iusti exercitus dux factus a. u. c. 606 = a. Chr. 148. Q. Fabium Servilianum proconsulem turpem pacem inire coegit; quam violavit eius frater Servilius Caepio, qui a. u. c. 614 = a. Ch. 140. per domesticos percussores Viriathum trucidavit. Add. Beier. ad Cic. Off. II, 11. 40. p. 79. — *Numantini* adversus Romanos pugnarunt ab a. u. c. 613 ad 622, quo anno Numantia a Scipione Africano min. expugnata et deleta est. Conf. Freinshem. ad Flor. II, 18. *Sertorius* postquam in Hispania contra Romanos bellum gessisset ab a. u. c. 677 ad 683, a Perperna interfectus est. Conf. eius vitam a Plutarcho conscriptam, et Freinshem. ad Flor. III, 22. — Jul. Caesar *Gallias* perdomuit ab a. 697 ad 704. — *Parthicum* regnum condidit Arsaces a. u. c. 498 = a. Chr. 256. Conf. Santacrucii commentat. de imperio Parthorum, in ed. Taciti Oberlin. T. II. p. 867 sqq. M. Licinius Crassus triumvir ab Orode (Arsace XIV) a. u. c. 701 = a Chr. 53. victus et interfectus est. Conf. Flor. III, 11. ibique Freinshem. Crassi exercitu deleto Orodes Syriae fines longe lateque vastavit, donec a Ventidio, Antonii legato, qui e mulione consul factus erat (Cic. Phil. XIII, 2. Juvenal. VII, 199) a. u. c. 715. devictus, adeoque Pacoro filio privatus est. Ad verbum *admonuerunt* recte Lipsius: *admonemur sortis humanae per adversa.* Itemque recte Diltheius comparat locutionem germanicam *einen Denkzettel geben*; neque hoc dissimile est, *einem eine Lection geben.* Neque dissimilis est hic locus: Hist. I, 64. *ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset.* De quo loco conf. Rothii grammat. quaest. col. 29. Similis fere item est usus verbi ὑπομιμνήσκειν in vexatissimo loco Theocriti XXI, 50. De proximis verbis bene Ernestius: „Germani multo acrius pugnant, quia pro libertate sua pugnant, cuius acerrimi sunt stimuli, quam Parthi, qui pro regno Arsacida-

est Germanorum libertas. quid enim aliud nobis quam caedem Crassi amisso et ipse Pacoro infra Ventidium
4 deiectus Oriens obiecerit? at Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, Cn. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt. nec impune C. Marius in Italia, D. Iulius in Gallia, Drusus ac Nero

rum arma gerunt." Revocavi cum Bekkero Rhenani lectionem *et ipse*, quae item exstat in Cod. Hummel. teste Sellingio, qui locum nostrum recte ita interpretatur: „Oriens nihil nobis obiicere potest, quam Crassi caedem, sed neque eam sine propria iactura nobis attulit, cum non nos soli ducem amiserimus, sed et ipse Pacorum ducem amiserit." Apte comparatur Sallust. Jug. 18. *sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit, exercitus eius, compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis, sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur.* Conf. Ruddimann. II, p. 298.

at Germani, Carbone — Caesari abstulerunt] *Cn. Papirius Carbo*, anno 641 cum C. Caecilio Metello Caprario consul, a Cimbris apud Noreiam victus est. Vid. Vell. II, 12. Liv. epit. 63. Strabo V. p. 214. — *C. Cassius Longinus*, consul cum C. Mario 647, a Tigurinis, qui cum Cimbris arma sociaverant, hoc anno victus est. Conf. Caes. B. G. I, 7. 12. Liv. epit. 65. — *M. Aurelius Scaurus*, consul suffectus a. 646. et 647., anno proximo, ut videtur, consularis legatus, haud procul a Massalia a Cimbris victus et captus est. Conf. Liv. epit. 67. Vell. II, 12. — *Q. Servilius Caepio*, consul a. 648, et *Cn. Manlius Maximus*, cons. 649, hoc anno apud Tolosam adversus Cimbros pugnarunt et magna clade affecti sunt. Conf. Liv. ep. 67. Veget. III, 10. Plutarch. Mar. 11. — *Variana* clades incidit in a. u. c. 762 = p. Chr. 9.

nec impune C. Marius — quam victi sunt] *C. Marius*, quartum consul a. u. c. 652 Cimbros ad Aquas Sextias delevit. — De *Drusi* expeditionibus conf. Dio libb. 54. 55. Flor. IV, 12. Mascovii histor. german. T. I. p. 65—68. — Die Feldzüge des Nero Claudius Drusus in dem nördlichen Deutschland, dargestellt von Dr. A. B. Wilhelm. Halle, 1826. 8. — Quater Drusus ab a. u. c. 742 ad 745 Rheno traiecto in Germaniam invasit. In quarta expeditione Visurgi superato per-

et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis etiam Gallias

venit ad Albim, ut plerique opinantur, prope Barbium (Barby), ut Wersebius, prope Artlenburgum vel Bleckede in principatu Luneburgico. Rediens equi lapsu occidit. Druso successit frater Tiberius *Nero* Caesar, qui biennium 746 et 747 adversus Germanos pugnavit, et Sigambros in sinistra Rheni ripa collocavit. Suet. Octav. 21. Tiber. 9. Dum Tiberius in Rhodo exulabat, imperium in Germania obtinuit Domitius Ahenobarbus (Tac. Ann. IV, 44.), et post hunc M. Vinicius. Mox iterum Tiberius a. 3. ad 6 p. Chr., et tertium post cladem Varianam, annisque 11 et 12 bis Rhenum traiecit. Denique *Germanicus*, Drusi filius, ab anno 14 ad 16 p. Chr. quater contra Germanos pugnavit. Tacit. Annal. I, 49—52. 55—59. 60—71. II, 5—26. *C. Caesaris Caligulae* quales anno 39 fuerint minae, retulerunt Sueton. Calig. 43 sqq. Dio LIX, 25. Tacit. Hist. IV, 15. *pater eius* (Brinnonis) *Caianarum expeditionum ludibrium impune spreverat.* Conf. Werseb. p. 72. not. 77. *Otium* fuit usque ad Claudium, sub quo (794) Galba Chattos, Gabinius Chaucos vicit. Sueton. Claud. 24. Dio LX, 8—9. Tum anno 800 = p. Ch. 47 Corbulo contra Chaucos pugnavit, quem Claudius a bello abstraxit et referri praesidia cis Rhenum iussit. Annal. XI, 18—20. Dio LX, 30. Anno 803. L. Pomponius legatus Chattos vicit, Annal. XII, 27. Sub Nerone a. 811 Frisios repressit Dubius Avitus, Annal. XIII, 53—56. — *Discordia nostra et civilia arma* sunt bella civilia post Neronis mortem (821 = p. Ch. 68) sub Galba, Othone et Vitellio gesta. *Expugnata hiberna* spectant ad Batavorum a Civile motam seditionem, cuius initium fuit expugnatio hibernorum duarum cohortium. Conf. Hist. IV, 12 sqq. V, 14. Agric. 41. Ut hic Tacitus *Gallias affectavere*, sic Vell. II, 39. *Gallias — affectavimus;* ad quem locum Ruhnken. citat. Sallust. Jug. 66. *civitates, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia affectare.* Vid. ibi Cort. Verba ultima pertinent ad Domitianum, qui a. 836 = p. Ch. 83 contra Chattos expeditionem suscepit, cumque hoste nusquam conspecto rediisset, triumphum tamen ab omnibus derisum egit. Conf. Dio LXVII, 4. Agric. 39. ibique Walch. Werseb. p. 74. et Diltheius ad Tac. loc. *Triumphati*, poetice dictum, ut Virg. Georg. III, 33. *bisque triumphatas utroque ab lit-*

affectavere; ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

CAP. XXXVIII. Nunc de *Suevis* dicendum est, quorum non una, ut Chattorum Tencterorumve, gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in
2 commune *Suevi* vocentur. Insigne gentis obliquare

tore gentes. Aen. VI, 837. *triumphata Corintho.* Horat. Od. III, 3. 43. *triumphati Medi.* Tacit. Annal. XII, 19. *ne triumpharetur Mithradates.*

CAP. XXXVIII. *de Suevis — in ipso solo vertice ligant*] Cunctae nationes quae a scriptoribus veteribus *Suevorum* nomine comprehenduntur, sedes inter Albim et Vistulam, ab horum fluviorum fontibus usque ad eorum ostia, ultraque directo in terras Scandinavicas pertinentes habuerunt. Medius eas interfluit Viadrus, dictus *Suebus*, atque mare, quo in Scandinaviam traiicitur, appellatur (cap. 45.) mare *Suevicum*, utpote inter nationes Suevicas interiectum. Gens ipsa a flumine nomen videtur accepisse. Singulas gentes Suevicas Tacitus cap. 39—45. enumerat. Conf. Reichard. p. 20 sq. Mannert. III. p. 39 sqq. Wilhelm. p. 95 sqq. Wersebius (p. 208 sqq.) sibi persuasit, Suevos non esse eiusdem cum ceteris Germanis generis, Suevorumque et Slavorum nomen esse unum idemque. *Propriis nationibus nominibusque* est, nominibus quae nationum propria sunt. *Adhuc*, i. q. insuper. *Obliquare crinem*, quod Grimm. germ. antiqq. iur. p. 285. interpretatur *seitwärts kämmen*, et Voigtius Hist. Boruss. T. I. p. 57. *schräg scheiteln*, vix aliter intelligi potest quam *crinem contorquere*. Verbo *obliquandi* Tacitus usus est propterea, quod situs crinium contortorum est obliquus. Similis habitus etiam aliis Germanis tribuitur. Sic Sen. de ira III, 26. *nec crinis rufus et in nodum coactus apud Germanos virum dedecet.* Idem Ep. 124. *capillum nodo Germanorum vincire.* Juvenal. XIII, 164. *Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem et madido torquentem cornua cirro?* Martial V, 38. *Crinibus in nodum tortis venere Sigambri.* — Servi videntur habuisse capillos tonsos; sic certe postero tempore apud Francos, vid. Greg. Turon. III, 8. Leg. Burgund. VI, 4. Vis verborum *retro sequuntur capillum* nunquam, opinor, ita poterit definiri, ut nihil dubitationis relinquatur. Si hic locus comparatur cum illis *obliquare crinem nodoque substringere*, necessarium esse

crinem nodoque substringere. sic Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur. in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum seu (quod saepe accidit) imitatione, rarum et intra iuventae spatium; apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac saepe in solo vertice religant. principes et ornatiorem habent. ea 3

videtur, ut *retro sequi crinem* idem sit quod *obliquare cr.* Nam communis universo populo mos describitur. In sola nodi sede singuli inter se differebant. At in qua tandem notione locutiones *retro sequi crin.* et *obliquare cr.* congruere putabimus? si *retro sequi* per se spectatur, praeferenda est illa explicatio, ut sit *retro agere* (zurück streichen). „*Capillum retro sequi* dictum est e solita Taciti breviloquentia ac poetica fere audacia pro vulgatiori *capillum promittere*, non ita tamen ut recta descendat, sed ut retro in verticem flectatur. Inversa igitur ea metaphora, quae inest in verbo promittere barbam vel crines, capillum nunquam detonsum et semper crescentem, vel ut ita dixerim, progredientem *sequi* usque eo quoad crescat, dicere ausus est.“ Orell. Nihil ad hunc locum illustrandum valent hi loci: Suet. Caes. 45. *ideoque et deficientem capillum revocare e vertice assueverat.* Sen. de brevit. vit. c. 12. *dum aut disiecta coma restituitur aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur.* Calpurn. Ecl. II, 85 sq. *quoties mollissima tango Ora manu primique sequor vestigia floris Nescius, et gracili digitos lanugine fallo.* „Die Langobarden schnitten das haar im nacken, liessen es aber vornen gescheitelt herunter hängen: cervicem usque ad occipitium radentes nudabant, *capillos* a facie usque ad os *dimissos* habentes, quos in utramque partem in frontis discrimine dividebant. Paul. Diac. 4, 23. Diese langobardische tracht ist ein gegensatz zu dem gebrauche der Sueven, das haar nach hinten zurückzuschlagen (retro sequuntur).“ Grimm. deutsch. Rechtsalt. p. 285. — Vulgo scribitur *in ipso solo vertice.* Bekkerus dedit *in solo v.*, ut est in cod. Longol. Mihi tamen potius scribendum esse videtur *in ipso vertice*, eiecto vocabulo *solo*, quod hoc quidem loco aptum non est. Nam ii loci, ubi coniunctim legitur *ipse solus* diversi generis sunt, cum ibi *solus* suam habeat vim. At quam vim hic habet? ubinam tandem, cum in vertice ligant, insuper item ligare possunt? Principes non solum in vertice ligant capillum, sed etiam ornatiorem habent, i. e. ornatum adhibent. — Recte pro *innoxia*, quod

cura formae, sed innoxiae: neque enim ut ament amenturve; in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti, ut hostium oculis, ornantur.

CAP. XXXIX. Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum *Semnones* memorant. fides antiquitatis religione firmatur. stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdem san-

dedit etiam Bekkerus, scribitur *innoxiae*, diciturque forma *innoxia*, ut quae morum integritati et sanctitati nihil noceat: hostium enim oculis terrorem incussuri ornantur. Sic Passovius *innoxiae* bene defendit. Perstringit autem Tacitus Romanorum etiam in hac re mores corruptos. Macrob. Sat. II, 5. *In altitudinem quandam* etc. sie putzen sich zu einer stattlichen Höhe heraus, um dem Feinde beim ersten Anblicke Schrecken einzuiagen. Cap. 43. *primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.* De pronomine *quidam* conf. Ramshorn. Gram. lat. p. 575. Denique *in altitudinem quandam et terrorem* per hendiadyn dictum est, ut Annal. II, 6. *multae* (naves) *augebantur alacritate militum in speciem ac tenorem.* Conf. Rothii Taciti synon. p. 27.

CAP. XXXIX. *Semnones — primordia*] Semnones ex Reichardi descriptione (p. 60.) habitarunt inter Albim et Oderam, inde a 53° ad 51° 45′ in latitudinem. Wersebius (p. 216 sq.) eos collocat in Marchia vetere, principatu Halberstadiensi et ducatu Magdeburgico inter silvam Hercyniam et Albim usque ad Salam et terminos Thuringiae. Add. Wilhelm. p. 238 sqq. Eo tempore, quo Tacitus hunc libellum conscripsit, Semnones cum Langobardis et Cheruscis, Arminio duce, Maroboduum gravi clade affecerant, qua victoria tantum auctoritatis erant consecuti, ut nobilissimos Suevorum se memorarent. Annal. II, 45 sq. Conf. Werseb. p. 218. not. 269. — Verba *fides antiquitatis* etc. Ernestius recte ita interpretatur: „ut credamus gentem antiquam esse, etiam religionis ratio suadet.“ *Fides* h. l. ut cap. 10, est persuasio. Locus Terent. Andr. III, 1. 4. *fidem firmavit*, huc non pertinet. — Semnonum *silvam* in densis saltibus inter fluvios Elystrum et Spream prope Sonnenwalde et Finsterwalde in Lusatia inferiori Wilhelmus (German. p. 50.) reperisse sibi videtur. Adde Reichard. p. 231 sq. qui hanc silvam cum Ptolemaei silva Semana (de qua idem Reichard. p. 214.) coniungit, Taciti autem *lucum* distinguit a silva, et lucum super Berolinum apud Stolzenhagen iuxta lacus Wandelicios, qui dicitur *Hünenbette*, intelligit. Conf. etiam Grimmii antiquitatt. p. 793. —

guinis populi legationibus coeunt, caesoque publice
homine celebrant barbari ritus horrenda primordia.
est et alia luco reverentia. nemo nisi vinculo ligatus 2
ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se
ferens. si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud
licitum: per humum evolvuntur: eoque omnis super- 3
stitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regna-
tor omnium deus, cetera subiecta atque parentia.

Auguriis patrum — sacram est hexameter. Virgil. Aen. VII, 170 sq. *tectum augustum — horrendum silvis et relligione parentum.* 607 sq. *sunt — belli portae — relligione sacrae et saevi formidine Martis.* Koenigio in programmate quo commendatur *numerosae orationis studium* (Misniae, 1821. 4. p. 9.), ut Ernestio, admodum probabile videtur, hunc versum non ipsi Tacito excidisse, sed inculcatum esse a librario, qui eum in margine ascriptum veteris alicuius poetae fetum esse ignoraret. Id mihi quidem non magis probabile videtur, quam eum imprudenti Tacito excidisse. Nam non solum numeri sunt poetici, sed omnis color est poeticus ususque verborum. Quo prorsus differt ab aliis, qui Tacito exciderunt, versibus, in quibus praeter numeros nihil poeticae virtutis reperias. Locus igitur ab ipso Tacito e poeta sumptus et hic insertus esse videtur: quod in hoc libello minus quam in Annalibus Historiisve habet offensionis. Conf. Boetticheri Lex. Tac. proleg. p. LXXVII. — *Primordia*, ut *initia*, significant ipsa sollemnia, *μυστήρια*, *arcana sacra*, quibus verbis cap. 18. utitur. *Primordia barbari ritus*, ut *peregrinum sacrum* cap. 9. quod totum caput cum hoc loco est comparandum.

ut minor — magnoque corpore efficitur etc.] *ut minor*, scil. numine viribus. Ita *minor* dicitur cap. 36. *Prae se ferens*, i. e. externo habitu agnoscens, indicans. — *Evolvuntur* est, ut recte Orellius interpretatur, *se evolvunt, ἐκκυλίνδονται.* Sic Annal. I, 13. *cum Tiberii genua advolveretur.* Quo minus passive accipiatur, *ab aliis evolvuntur*, hoc impedit, quod adeo attolli nefas fuit. — *Tamquam inde*, i. e. ex hoc loco sacro *gentis initia* prodierint. *Adiicit auctoritatem* isti superstitioni *fortuna* Semn. quod vocabulum recte retuleris ad victoriam ab iis de Maroboduo reportatam. Scripturam *habitantur*, quae in omnibus libris vett. exstat, retinui, quamquam nihil adhuc ex scriptoribus latinis afferri potuit, quod hunc huius verbi usum confirmaret. Is igitur Tacito tamquam proprius assignandus erit. Ceterum malim

Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitantur; magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

CAP. XL. Contra *Langobardos* paucitas nobilitat. plurimis ac valentissimis nationibus cincti non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt.
2 ***Reudigni* deinde et *Aviones* et *Angli* et *Varini* et**

comparare graecum ᾤκηνται, et Homericum (Iliad. II, 668.) τριχθὰ ᾤκηθεν καταφυλαδόν, quam ut *Semnones*, quod vocabulum est subiectum, metonymice sit dictum pro terra seu finibus Semnonum, ut cap. 41. *in Hermunduris Albis oritur.* Conf. Drakenb. ad Liv. V, 28. *Magnum corpus* est finium amplitudo ad unum corpus coniunctorum. Cap. 40. *paucitas* opponitur.

CAP. XL. *Langobardos — muniuntur*] *Langobardorum* sedes fuerunt in sinistra Albis ripa, in orientalibus principatus Luneburgici partibus et in Marchia vetere in pago quidem *Bardungo* s. Bardingau. Conf. Werseb. p. 216. Reichardus p. 66 sqq. Wilhelm. p. 281 sqq. Mannert. p. 170 sqq. et Diltheius ad h. l. Eos cinxerunt Cherusci, Semnones, Hermunduri et Chauci. — *Reudigni* a Wersebio (p. 219.) collocantur in comitatu Mansfeldensi iuxta fines Semnonum (im Rieth bis an die Helme). Add. Wilhelm. p. 287. Reichardo (p. 44.) sunt incolae Reudesburgi in Holsatia. *Aviones* Wersebio sunt incolae aurei prati (der goldnen Aue) in Thuringia ab occidente secus Helmam; Reichardo (p. 44.) cum Gatterero accolae fluvii *Aue* in Holsatia, qui a meridie in Eideram effunditur. Add. Wilhelm. p. 287 sq. *Anglios* Wersebius eos intelligit, qui habitant in medio s. in angustiis (in der Enge) Thuringiae per utramque Unstrutae ripam. Ab iis dictum esse pagum Engilin ad Unstrutam circa Beichlingen et Cölleda, atque Greussen et Klingen. Reichardo (p. 45.) sunt incolae terrae Holsaticae Angeln prope Flensburgum, unde saeculo V. sub Hengsto et Horsto cum aliis Saxonibus vicinis in Britanniam transierint. Idem statuit Diltheius. Add. Wilhelm. p. 279 sq. et Mannert. p. 294. — *Varinos* intelligit Diltheius accolas fluvii Warnae (Warnow) in ducatu Megalopolitano; in eadem sententia est Voigtius in histor. Boruss. p. 40. Wersebius intelligit accolas Werrae, non tamen sine dubitatione. Utramque sententiam coniunxit Wilhelmus p. 275 sq. At non fuisse Warnae accolas, evidenter docuit Wersebius p. 219. Multo eos probabilius Reichardus (p. 45.) collocat in Holsatia, ubi in terra Vagria (Wagrien) nominis eorum reli-

Eudoses et Suardones et Nuithones fluminibus aut silvis muniuntur. nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Nerthum, id est terram matrem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. est in insula Oceani castum 3
nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum. attingere uni sacerdoti concessum. is adesse penetrali

quiae supersunt. — *Eudoses* Wersebius (p. 219.) reperit in Thuringia ad Isenacum; Reichardus (p. 46.) cum aliis nomen eorum refert ad oppidum Eutinum et fluvium Eydoram. Wilhelmus (p. 288.) eos habet pro parte Varinorum. — *Suardones* Wersebius (p. 219.) deprehendit in Thuringia ad fluvium Schwarza; Reichardus (p. 46.) cum Gatterero Krusioque dictos censet a fluvio Schwartau prope Lubecam. Conf. etiam Wilhelm. p. 288. — Denique *Nuithones* Wersebius (p. 219. et 241.) collocat ad Nutham in ducatu Servestano; Reichardus (p. 46.) in agro Flensburgico prope *Nye* et in agro Tondariensi prope *Nye-Augustenkrog.* Add. Wilhelm. p. 289. Postremo hoc est commemorandum, hos populos, quorum tantum nomina Tacitus posuit, Reudignos et Aviones et Anglos et Varinos et Eudoses et Suardones et Nuithones, nullis locorum, ubi singulae sedes suas haberent, indiciis appositis praeter haec verba: *fluminibus aut silvis muniuntur,* Reichardum p. 43. statuere pagos, quos Ptolemaeus (lib. II, 11.) Saxonibus assignat, habitasse.

in commune Nerthum — perituri vident] De locutione *in commune* conf. Böttich. Lex. Tac. p. 23. — Pro *Nerthum* Rhenanus, quem sequitur Barthius, scribit *Herthum.* Nec tamen patet, qui *Herthum* potuerit in *Nerthum* mutari. Jac. Grimm. (Jenens. Ephem. litt. a. 1827. n. 8. p. 27.) comparat *Niördr* (*Nijord*). Dubium non est, quin intelligatur *Hertha,* cuius cultus etiam apud alios populos Germanicos videtur viguisse, id quod inde coniici licet, quod haec religio per omnes fere gentes fuit propagata, quodque Tuisco, Germanorum conditor, deus vocatur terra editus (c. 2.). Item mater deum, quam Aestyi (c. 45.) coluerunt, videtur eadem cum Hertha fuisse. Hessius citavit hunc librum: Philosophisch-historisch-geographische Untersuchungen üb. d. Insel Helgoland u. ihre Bewohuer, von *F. v. Decken.* Hannov. 1826. — Novissime de hoc argumento C. K. Barthius librum conscripsit, cuius hic est titulus: Hertha u. üb. d. Religion der alten Weltmutter im alten Teutschland. Augsburg, 1828. 8. — *Intervenire rebus homin.* est praesentem iis se immiscere, non

deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum
4 veneratione prosequitur. laeti tunc dies, festa loca,
quaecunque adventu hospitioque dignatur. non bella ineunt, non arma sumunt: clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium
5 deam templo reddat. mox vehiculum et vestes et, si

tantum e longinquo eas curare. Ad eandem praesentiam spectat locutio *populis invehi.* Verbum *invehi* item cum dativo construitur Annal. II, 23. *Oceano invexit.* Liv. I, 59. *corpori invecta.* — Porro *insulam Oceani* Moneius (Tom. II. pag. 24 sq. et Tom. I. pag. 266 sq.) cum Müntero (üb. d. Religion des Nordens vor den Zeiten Odins, in libro: Archiv für ält. u. neuere Kirchengesch. 3. Bd. 2 St.) intelligit *Seelandiam.* Cum essent etiam in aliis insulis arae Herthae erectae, haec tamen superstitio maxime viguit in Seelandia. Hanc sententiam amplexus est etiam Barthius in libro *Hertha* inscripto §. 12. cum in hist. germ. T. II. p. 182. cogitasset de insula *Femeren.* Alii, ut Mannert. p. 339. Wilhelm. p. 49. Zöllner in libro: Reise durch Pommern, p. 250 sqq. Kosegarten in Rhapsodiis, vol. II. Diltheius et Passovius ad hunc locum intelligunt *Rugiam;* Adelungius (ält. Gesch. d. Deutsch. p. 225.) cogitat de *insulis Danicis;* denique Reichardus (p. 184.) de insula *Alsen.* „Memorabile est, Georgium Christophorum Lemmium Rugianum in sua de Rugia disputatione (Vitebergae, 1687. 4.) quamvis et lacus illius nigri et Herthae mentionem faciat, nusquam tamen commemorare avitas incolarum de istius numinis cultu narrationes, quas si tunc temporis iam exstitissent aut ipsi saltem notae fuissent, vix praeteriisset.“ *Orell.* *Nemus castum* est sanctum, religiosum, quod non impune violatur. Sic apud Horat. Od. I, 12. 60. *luci parum casti;* quem locum Passov. citat. Tum aptius est, quod e Veneto Pichena restituit, *dicatumque,* quam *dicatum* sine copula. Porro nihil est caussae, quamobrem *penetrale* non de nemore sacro, sed de vehiculo accipiatur. De toto vehiculo intelligi non potest; ad summum de propria deae in vehiculo sede. — Rhen. min. *multa veneratione* sine praepos. *cum.* Conf. Ruddimann. Institutt. P. II. p. 268. Ramshorn. gram. lat. §. 150. not. p. 470. — *Loca festa* sunt ea, ubi deae adventus pro festo celebratur. Sic Hor. Od. III, 18. 11. *pagus festus.* — Ad verba *non bella ineunt, non arma sumunt* Orellius: „Similia instituta publicae pacis (gothice *Aldra manna frith*, i. e. *All-*

credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. servi ministrant; quos statim idem lacus haurit. arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri vident.

CAP. XLI. Et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur. propior (ut quomodo

Manns Frieden) etiam post christianam religionem receptam inveniuntur in Gothlandia, v. Gutha-Lagh C. 8. 9. bis quotannis denos per dies observabatur." — *Templum* h. l. est nemus sacrum. Apud Romanos constat *templum* dici locum ab auguribus auspicandi caussa lituo definitum; item quemlibet locum diis sacratum cum luco aut templo, aut sine his, ut *τέμενος*, de quo citat Hessius Creuzer. ad Cic. de N. D. III, 19. p. 576. — Non negligendum, pluralem *vestes* hic usurpari, cum supra dictum sit vehiculum *veste* contectum. Ex omni autem loco intelligitur, non fuisse deae simulacrum, quod ablueretur. *Terror arcanus* est cuius caussa sunt arcana, et *ignorantia sancta* est, cum res sanctae ignorantur. — De more numinum abluendorum citat Hessius Ritteri Pronaos p. 96. Spanhem. ad Callimachi lavacr. Pallad. p. 526. Bähr. ad Plutarch. Alcib. p. 239 sq.

CAP. XLI. *in secretiora Germaniae — provinciae colonia*] Arndtius (p. 48.) propter prima verba Tacitum obscuritatis accusat, cum non pateat, quae *secretiora* intelligantur. Ex usu loquendi Latinorum *secretiora* esse *remotissima*; at remotissima Germaniae tenuisse Suiones ac Sitones. Reprehensio est iniqua; nam sunt etiam illa loca, quae illos populos habitasse dictum est, satis remota. — *Propior* scil. Romanis seu Raetiae provinciae. Wersebius (p. 223. not. 281.) vocabulum *propior* refert ad Danubium, ut Hermundurorum civitas dicatur propior esse Danubio, quam illae septem nationes, Reudigni, Aviones, Anglii, Varini, Eudoses, Suardones, Nuithones, quas is cunctas in Thuringia collocat, cum tamen rectius Holsatia pro earum sede habeatur. Verba *ut Danubium sequar* non ita sunt intelligenda, tamquam Tacitus voluerit, omnes dehinc descriptos populos proxime Danubium habitasse; immo tantum hoc significat, horum populorum sedes magis minusve a Danubio remotas in universum tamen huius fluminis cursum esse prosecutas. — *Hermundurorum sedes* e locis Tacit. Germ. 41. 42. Vell. II, 106. Strab. p. 290 sq. Reichardus (p. 101.) statuit secundum Albim superiorem pertinuisse a Reginaegradecio (Königingrätz) usque ad circulum Saxoniae, qui olim est dictus electoralis

paullo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar) *Hermundurorum* civitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus

Quicquid igitur Bohemiae ultra Albim septemtrionem versus est situm, porro Saxoniae circulos montanum, Misnicum et Lipsicum cum iis terris a Sala inde orientem versus sitis, quas illi circuli non continebant, insederunt. Item terrarum aliquid trans Albim ad Lusatiam usque videntur tenuisse. Ad Danubium usque eos habitasse ex eo quod Tacitus ait *ut nunc Danubium sequar, non in ripa commercium, sed penitus atque in provinciae colonia,* minime colligi potest. Domitius iis Marcomanniae partem habitandam concessit, quae non aliae terrae esse potuerunt, quam quas initio cursus sui perfluit Albis, quem in Hermunduris oriri Tacitus ait. (Wilhelm. German. p. 193 sq. ait, Domitium in itinere, de quo mentionem facit Dio Cass. LV, p. 362. a Danubio inde per Franconiam esse profectum. Reichardus p. 103 sqq. contendit, Domitium tum Danubium plane attingere non potuisse. Verba tamen Dionis favent Wilhelmi opinioni: Dio enim ait: *ὁ γὰρ Δομίτιος πρότερον μὲν, ἕως ἔτι τῶν πρὸς τῷ Ἴστρῳ χωρίων ἦρχε* etc. quae Reichardus perperam sic interpretatur: Domitius, ehe er weiterhin das Commando an der Donau antrat; cum tamen ἕως ἔτι hanc vim habeat: *als noch.*) — Wersebius (p. 222 sqq.) proprias Hermundurorum sedes ait fuisse in septemtrionali Bohemiae parte, ubi septemtrionem versus a Lygiis separabantur tractu Saxoniae montano (Erzgebirge) et orientem versus montibus Sudetis (Riesengebirge); ab occidente fuisse terminum montem piniferum (Fichtelberg) circa Egram oppidum, quem terminum natura constitutum eos excessisse ulteriusque in agrum Coburgicum Hennebergicumque ad Salam usque Franconicam processisse credendum esse, si quidem ad hunc fluvium cum Chattis de salinis secundo Marte pugnarint. (Quod contra Reichardus p. 107. et Ilgenius p. 357. Salam Saxonicam intelligunt.) Ceterum negat Wersebius (p. 223. not. 281.) in agro Misnico Hermunduros habitasse. Cur sic statuat, uberius in nota exposuit. Add. de Hermundurorum finibus Wilhelm. p. 201 sqq. Mannert. p. 193 sqq. — De particulis *non — sed* conf. dicta ad cap. 29. — Commercium cum Romanis Hermunduri habere potuerunt a Sala Franconica, si eorum sedes eo usque pertinuerunt, quod Wersebio (conf. p. 224 sqq. qui tamen p. 223. not. 281. diserte negat, hos fines ad Danubium usque pertinuisse) aliisque placet; sin minus, tamen Germanis etiam remotius habitantibus aditus ad Danubii ripas et transitus con-

atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia.
passim et sine custode transeunt; et cum ceteris gen- 2
tibus arma modo castraque nostra ostendamus, his
domos villasque patefecimus non concupiscentibus. In
Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum
olim; nunc tantum auditur.

cessus esse potuit. Solis autem Hermunduris permissum fuit, ut Danubio superato *splendidissimam Raetiae provinciae coloniam*, i. e. Augustam Vindelicorum, adirent. Conf. Werseb. not. 283. Taciti tempore colonia, recens fortasse condita, certe haud prius memorata, proprio nomine carebat, quod nomen primum legitur in Sext. Rufi Breviario c. 10. circa annum 380. Conf. Passov. *Splendidissima colonia*, ut Agric. 4. *illustris colonia.* Ad verba *sine custode* conf. Hist. IV, 64. 65. — Memorabilis est Mannerti opinio proposita p. 201. et 529. numerum quendam Hermundurorum cum Romanis coniunctum ripas Danubii defendisse, ideoque liberum ad coloniam Augustam Vindelicorum aditum habuisse.

in Hermunduris Albis — auditur] Albis Romanis innotuit anno 9 a. Chr. in quarta Drusi expeditione. Dio LV, 1. κἀντεῦθέν πρός τε τὴν Χερουσκίαν μετέστη, καὶ τὸν Οὐΐσουργον διαβὰς ἤλασε μέχρι τοῦ Ἀλβίου πάντα πορθῶν. ἐκεῖνον γὰρ (ῥεῖ δὲ ἐκ τῶν Οὐανδαλικῶν ὀρῶν καὶ ἐς τὸν Ὠκεανὸν τὸν προσάρκτιον πολλῷ μεγέθει ἐκδίδωσιν) ἐπεχείρησε μὲν περαιωθῆναι, οὐκ ἠδυνήθη δὲ, ἀλλὰ τρόπαια στήσας ἀνεχώρησε. γύνη γάρ τις μείζων ἢ κατὰ ἀνθρώπου φύσιν ἀπαντήσασα αὐτῷ ἔφη, „Ποῖ δῆτα ἐπείγῃ, Δροῦσε ἀκόρεστε; οὐ πάντα σοι ταῦτα ἰδεῖν πέπρωται. ἀλλ' ἄπιθι. καὶ γάρ σοὶ καὶ τῶν ἔργων καὶ τοῦ βίου τελευτὴ πάρεστιν ἤδη." Dionem, qui Albim ex Vandalicis montibus, et Tacitum, qui in Hermunduris oriri ait, sic conciliat Reichardus p. 106., ut tempora distinguat, nam recte Albim a Dione tempore quartae Drusi expeditionis ex Vandalicis montibus oriri dici, cumque posthac Domitius Hermundurorum partem in Marcomannorum finibus circa Albis fontes collocarit, item recte Albim in Hermunduris oriri a Tacito dici. — Verba *flumen inclitum et notum olim, nunc tantum auditur* hanc vim habent: Romani hoc flumen nunc non ut ante cladem Varianam suo ipsi aspectu norunt, sed tantum fama. Conf. Werseb. p. 222. not. 260. Ceterum nondum mihi persuadeo, Hermunduros etiam septemtrionalem Bohemiae partem et circa Albis fontes incoluisse, illosque puto verum vidisse

CAP. XLII. **Iuxta Hermunduros *Narisci*, ac deinde *Marcomanni* et *Quadi* agunt. praecipua Marcomannorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes pulsis olim Boiis virtute parta. nec Narisci Quadive**

qui cum Cluverio (German. antiq. III. p. 109 sq.) Tacitum affirmant verum Albis fontem ignorasse et fortasse ex male intellectis delineationibus Egrae fontem pro Albis origine habuisse.

CAP. XLII. *Narisci — virtute parta*] *Nariscorum* sedes Reichardus p. 107. et 140. facit septemtrionalem Palatinatus superioris partem et marchionatum Culmbacensem. Wersebius p. 226. eos habitasse ait ad Nabum ea tenus, qua in Danubium infunditur; occidentalem eorum terminum fuisse silvam Bohemicam. Add. Wilhelm. p. 210 sqq. Mannert. p. 898. — *Marcomanni*, qui primo in Moravia habitarunt, inde sunt appellati, quod iuxta marcam s. terminos Germaniae habitarent. Moravia enim ab omni inde tempore extrema fuit Germaniae provincia in confinio Pannoniae, quem terminum facit fluvius Marus (March). Hi Marcomanni duce Maroboduo Boios sedibus in Boiohemo pellunt (Vell. II, 108 sq.), isque regni ibi sedem constituit, retento etiam Moraviae regno. Ita Werseb. p. 228 sq. Vulgata contra opinio est, Marcomannos initio non fuisse gentem peculiarem, sed qui Marcomanni vocarentur, e pluribus populis Suevicis fuisse collectos interque Rhenum, Moenum et Danubium Germaniae fines adversus Gallorum incursiones defendisse. Rebus Gallorum fractis ipsos consedisse in Gallorum finibus, et post devictum Ariovistum in regiones inter Moenum et Nicrum sitas recessisse, et partim prope ad silvam Thuringicam; orientem versus fines eorum pertinuisse usque ad Boios, a quibus dictum Boiohemum. Cum adversus Drusum infeliciter pugnassent, Maroboduo duce Boios vicerunt. Conf. Wilhelm. p. 212 sqq. Add. Mannert. p. 382 sqq. Voigt hist. Boruss. T. I. p. 60 sq. Reichard. p. 143 sqq. Diltheius ad h. l. *Quadi* habitarunt ad Danubium iuxta Nariscos inde ab eo loco, ubi e regione positum est Passavium, usque ad Cremesiam (Krems). Videntur etiam partem Bohemiae australis tenuisse. Ita Werseb. p. 231. sed Reichardus eos collocavit in Moravia (p. 146 sqq.). Conf. Wilhelm. p. 223 sq. Mannert. III. p. 379. Ad verba *pulsis olim Boiis* conf. cap. 28. Mannertus (p. 481.) opinatur pulsos eos esse in montes Silesiae superioris vicinaeque Galiciae.

degenerant. eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio peragitur. Marcomannis Quadisque us- 2 que ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: iam et externos patiuntur. sed vis et potentia regibus ex

Nec — degenerant — nec minus valent] *Degenerant*, i. e. degeneres sunt, scil. a reliquorum virtute. Cic. de Fin. V, 5. 13. *sed ita degenerant, ut ipsi ex se nati esse videantur*; ubi Ernestius sine caussa malebat *degenerarunt*. Tacit. cap. 45. *in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant.* — *Peragitur* est scriptura multorum codd. veterumque edd., quam recte Diltheius ita interpretatur: soweit die Vorderseite Germaniens durch die Donau vollendet wird. Locutione *frons peragitur* indicatur et terminus unde frons exorditur et terminus ad quem usque porrigitur. Apte comparari potest et locus cap. 44. *utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit*; et locutio *limitem agere*, similesque. Duae autem sunt Germaniae frontes, quarum altera agitur Rheno, altera Danubio. Pichenae, cui placet scriptura *pergitur*, videtur formula *Danubio pergere* idem valere quod *secus Danubium pergere*. Haec ratio quomodo ex usu Latinitatis defendi possit equidem non video. Bekkerus in edit. minore dedit cum Oberlino *protegitur*, in maiore reliquit *praetexitur*. De *Maroboduo* conf. libellus Fr. Rothii inscriptus: Hermann und Marbod. Stuttgartiae, 1817. Forsitan Vannius, Marcomannis rex datus, cuius sororis filii Vangio et Sido, e Marobodui genere fuit. De *Tudro* plane nihil constat. Grimmius (Antiquitatt. iur. germ. p. 231) in nomine Tudri admonet de voce anglo-saxonica *tudor*, *tudr*, i. e. soboles, prosapia. De Maroboduo conf. etiam Werseb. p. 281. not. 301. — *Externi*, quos iam pati dicuntur, videntur esse Hermundurorum reges et successores Vibillii, qui Vannium a. 50. p. Chr. pepulerat. *Potentiam ex auctoritate Romana* habuit Vannius. Annal. II, 65. De verbis *saepius pecunia iuvantur, nec minus valent* haec Passovius: „accipiebant pecuniam a Romanis reges Marcomannorum et Quadorum, nec ideo minus valebant, ac si nihil tulissent: non enim tamquam pauperiores a divitibus accipiebant, sed victores a victis reportabant. Pudebat vero equitem Romanum aperte profiteri, gentem suam barbaris tributa pendere coactam esse, quod silentio praeterire non licebat historico. Romanos non solum Decebalo, Dacorum regi, sed sociis quoque Dacorum, Marcomannis Quadisque,

ex quibus latissime patet *Lygiorum* nomen in plures civitates diffusum. valentissimas nominasse sufficiet, *Arios*, *Helveconas*, *Manimos*, *Elysios*, *Naharvalos*.
4 Apud Naharvalos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed *deos* interpretatione Romana *Castorem Pollucemque* memorant. ea vis numini: nomen *Alcis*. nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium. ut fratres tamen, ut
5 iuvenes venerantur. Ceterum Arii super vires, quibus

chard. p. 216 sq. *Lygia* gens complexa est plures nationes, quae a scriptoribus integro fere nomine appellantur, ut Lygii Arii, Lygii Manimi etc. conf. Reichard. p. 78 sqq. *Lygii* igitur ex ratione Wersebii (p. 240. not. 313.) ultra tractum montanum (Erzgebirge) in Saxonia habitarunt, in Lusatia quidem, suntque Lygii iidem qui Lusici, eorumque fines pertinuerunt usque ad Elysios s. Silesios. Lygiorum oppidum est Lignitium. Ex Wilhelmi descriptione (p. 242.) tenuerunt illam Poloniae minoris et maioris partem, quam Vistula a fontibus cursu curvato orientem versus et deinde in occidentem prope ad Brombergam fere semicirculo ambit. Add. Mannert. p. 375. et Diltheius ad h. l. — *Arii*, appellati a fluvio Odera, quae eadem dicitur Ader ab *Aa*, i. e. aqua, habitarunt in dextra Oderae ripa, et quidem inter Oderam et Wartham usque in Silesiam; *Helvecones* ad Havelam in Marca media et Uckerana, atque in Marchia Priegnitiana; *Manimi* (quod nomen ex *Mishimi* s. *Misnii* corruptum videtur) sunt incolae agri Misnici; *Elysii* sunt Silesii in parte Silesiae occidentali in sinistra Oderae ripa habitantes. In dextra degerunt *Naharvali*. Ita Wersebius p. 241. — Ut contra placet Reichardo (p. 79 sq.), *Arii* habitarunt in septemtrionali et orientali parte montis Asciburgici, ubi complures vici gerunt nomina composita ex *Arns*. *Helvecones* circa fontes fluviorum qui vocantur Schwarzwasser et Ferse, atque circa fluvium Radaune Dantiscum versus. *Manimi* tenuerunt principatus Crossen, Sagan et Glogau. *Elysii* incoluerunt principatum Ossenam (Oels). *Naharvali* inter Wartham et Vistulam circa fluvios Ner, Bsura eorumque brachia. Eorum fines usque ad Rawam et Petrikau pertinuisse ut credamus, faciunt reliquiae sacri luci prope Rawam, quem hoc loco Tacitus videtur significare. In singulis discedit Wilhelmus, qui de *Ariis* disputat p. 247 sq. de *Helveconibus* p. 250 sqq. de *Manimis* p. 249 sq. de *Elysiis* p. 248 sq. de *Naharvalis* p. 248. — *Antiquae religionis lucus* est, qui antiqua religione colitur.

enumeratos paullo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora. atras ad proelia noctes legunt, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.

Trans Lygios *Gothones* regnantur, paullo iam 6
adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano

Conf. cap. 39. Hessius citat Plin. Ep. VIII, 8. 5. *adiacet templum, priscum et religiosum.* — Notandus est ablativus in locutione *sacerdos muliebri ornatu.* Verba *ea vis numini* hanc vim habent: id illi dii hominibus praestant, quod Dioscuri. *Alcis* recte videtur haberi pro dativo, itemque hoc nomen recte derivari a vocabulo Slavonico *holcz*, i. e. puer, cuius est pluralis *holczy*. Vocabulum *superstitio*, cum adiectivum *peregrinus* non ad alios possit referri, nisi ad Romanos Graecosque, hoc quidem loco idem significat quod religio, adversaturque hic locus Wolfio ad Cic. pro domo p. 251. neganti, superstitionem latine dici pro religione. — *Lenocinantur feritati*, i. e. eam augent, sie kommen ihr zu Hülfe. Plin. Epist. I, 8. 6. *anceps hic et lubricus locus est, etiam cum illi necessitas lenocinatur.* II, 19, 7. *quamquam in his difficultatibus libro isti novitas lenocinetur.* Dial. de corr. eloq. 6. *ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati.* — *Tincta corpora.* „Fusco aut nigro colore faciem illinebant; ut haec quoque furvae nocti aequaretur." *Coler.* Caes. B. G. V, 14. *omnes se Britanni luteo inficiunt, quod caeruleum efficit colorem.* Plin. XXII, 2. *illinunt certe aliis aliae faciem in populis barbarorum feminae, maresque etiam apud Dacos et Sarmatas corpora sua inscribunt.* Virgil. Georg. II, 115. *pictosque Gelonos.* Ad quem locum conf. I. H. Vossius p. 305. — *Feralis exercitus* est qui vel aspectu mortem interitumque minatur. Vid. Flor. I, 12. 7. de ferali habitu exercitus Fidenatum. Tacitus Annal. XIV, 30. aciem incolarum Monae insulae describit. *Novum aspectum* dixit ut cap. 31. *visu nova.* — *Gothones* Pytheas (conf. Plin. XXXVII, 11. 1.) ait accolere aestuarium Oceani, Mentonomon nomine (das frische Haff). Tenuerunt igitur littus Borussicum a Vistula usque ad urbes Brunsbergam (Braunsberg) vel Sanctam Civitatem (Heiligenbeil), tam si in interiora terrae ascenderis, quantum

Rugii et Lemovii; omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii et erga reges obsequium.

CAP. XLIV. *Suionum* hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque classibus, valent. for-

terrae perfluit fluvius Passarge, item quantum interiacet inter fluvios Drewenz et Vistulam, Vistulae Delta et forsitan aliquantum terrae in Vistulae ripa a Bromberga ad Dantiscum. Gothonum nominis vestigium superest in nomine urbis Dantisci, quod est Gedanie s. Gidanie, ut Gythones, unde Gedanum, polonice Gdansk, i. e. Gothen-Stadt. Quo nomine haec urbs iam anno 965 est appellata. Ita Reichardus p. 85 sq. Add. Wilhelm. p. 257 sqq. Mannert. p. 353. Diltheius ad h. l. At Wersebius p. 242. *Gothones* collocat in ducatu Megapolitano, *Rugios* in Pomerania citeriore (Vor-Pommern) et insula Rugia, *Lemovios* in Pomerania inferiore (Hinter-Pommern) ad fluvium Lebam et circa Lauenburgum, porro in Borussia occidentali usque ad Vistulam. — De forma passiva *regnantur* vid. dicta ad cap. 25. Formula *adductius regnari* ex re equestri et habenis adductis est petita. Vid. Gesneri thes. l. l. s. v. *adductius.* Tacit. Hist. III, 7. *quia adductius quam civili bello imperitabat.* Add. interpr. ad Plin. Ep. I, 16. 4. et Boetticher. in Lex. Tac. — *Nondum supra libertatem*, i. e. non ita ut omnis libertas sit sublata. — De verbis *protinus deinde ab Oceano* Wersebius not. 324. „der Ausdruck *protinus ab Oceano* bedeutet, von dem Ocean an, oder von da an, wo die Küste den Ocean berührt. *Protinus* heisst nämlich: *gleich vom Anfange an.*" Immo *protinus* est *in eins weg.* Conf. de hac voce I. H. Vossius ad Virg. Ecl. I, 13. p. 21. *Deinde* de loco, ut cap. 42. et Lucret. V, 789. — *Rugii:* in littore inter Oderam et Vistulam. Ab iis dictum *Rügenwalde* et insula *Rugia*, quamquam haec ab eorum sede fuit remota. Ita Reichardus p. 57. cui item haud improbabile videtur, fuisse eam insulam Rugiorum incunabula. *Lemoviorum* praeter hunc locum non fit mentio. Ad eos videntur pertinere fluvius et oppidulum *Leba*, etiam *Lauenburg*, olim *Lewenburg*. Conf. Reichard. p. 57. Wilhelm. p. 264 sq. Mannert. p. 338 sq. Voigt. hist. Boruss. I. p. 53. et p. 66 sq. „*Lemoviorum* spatia constituunt magnam Cassubiae partem et Pomeraniae portionem iuxta oppida Lewenburg, Stolpen, Colberg, etc." *Kirchmaier.*

CAP. XLIV. ***Suionum hinc civitates — remigium*]** ***Suiones* esse Suecos, iam nemo dubitat.** In Oceano has civi-

ma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit. nec velis ministrant nec remos in ordinem lateribus adiungunt: solutum, 2
ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma, ut 3
apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode et quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosa porro armatorum manus facile lasciviunt. enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem, armis praeponere regia utilitas est.

tates esse dicit, quoniam australis Sueciae pars longe in mare Balticum procurrit. Ita Werseb. p. 243. Add. Wilhelm. p. 341 sqq. et Mannert. p. 243. Atque hic (p. 321 sq.) censet Tacitum eorum quae de Suionibus narret, auctores habuisse qui ista suis ipsi oculis viderint. — Scriptura *ipsae* nonnihil offensionis habet, cum nihil cogitari possit oppositum, ob quod *ipsae* usurpatum sit. Quamobrem praefero *ipso in Oceano;* nam populi quos antea commemoravit, in littore degerunt. — Suionum naves fuerunt *biprorae,* quas Hygin. fab. 168. vocat. Earum similes habuerunt Veneti s. Armorici Gallici. Vid. Caes. B. G. III, 13. Similesque construxit Germanicus. Vid. Tac. Ann. II, 6. Et eiusdem plane formae fuerunt *camarae* barbarorum ad Pontum. Hist. III, 47. — Scriptura *ministrantur* non est tentanda aut in *ministrant* mutanda. Amat Tacitus verborum genera mutare et variare. *Velis* (qui est ablativus) *naves non ministrantur* (διακονοῦνται), i. e. vela navibus non ministrant. Ante oculos videtur Tacitus habuisse locum Virgilii Aen. VI, 302. *ipse ratem conto subigit velisque ministrat.* Conf. Passov.

et opibus honos — regia utilitas est] Quod opes apud eos sunt in honore, eo differunt a ceteris Germanis. vid. cap. 5. — *Exceptiones* h. l. sunt restrictiones, determinationes, ut philosophi loquuntur. Nihil verum est exceptum, ubi non penes solum regem, sed penes populum sit arbitrium statuendi. — *Precarium* est, ut ait Ulpianus (v. Gesneri thes. s. v. col. 1053) quod precibus petenti utendum conceditur tam diu quam diu is qui concessit, patitur. Nicht mit erbetteltem Gehorsamsrechte. *Parendi* habet significationem passivam. Conf. Ramshorn. gram. lat. p. 652. ed. 2. Alios viros doctos

CAP. XLV. **Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides; quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet; sonum insuper audiri formasque deorum et radios capitis aspici persuasio adiicit. illuc usque (et fama vera)**

qui hunc gerundii usum illustrarunt, citarunt Passovius et Hessius ad h. l. Add. Cic. Tuscul. I, 23. 53. *hoc principium est movendi.* — *Arma non sunt in promiscuo*, i. e. non omnibus venia armorum gestandorum est data. — Vulgatam lectionem *otiosa* restituit Passovius. Durissima sane haec dicendi ratio, cui non est simile hoc Virgil. Aen. VI, 658. *hic manus ob patriam pugnando vulnera passi.* Non constat, quis primus scripserit *otiosae* quod etiam Bekkerus retinuit in utraque editione. De *enimvero* (aber freilich) conf. Ramshorn. gr. lat. p. 848.

CAP. XLV. *trans Suionas aliud mare — tantum natura*] Intelligitur mare glaciale s. oceanus septemtrionalis, quem cum Bothnico sinu non cohaerere Tacitus ignorabat, ut qui non nosset nisi illa maria, quae essent ulterius septemtrionem versus trans Suionas glacie horrere, audivissetque de brevibus noctibus aestivis in regionibus polaribus, ubi finis orbis cogniti, Conf. Werseb. p. 189 sq. et Walch. ad Tacit. Agric. 10. ubi est, *mare grave et pigrum.* — E libro vetere affert Is. Vossius ad Pompon. Mel. III, 3, 35. p. 795. Gron. *quod extremum radens iam solis fulgor in ortus edurat adeo clare, ut sidera hebetet;* quod Vossius probat ut re verius. At hoc quamquam re verius, non esse a Tacito profectum, ostendit vel voculae *iam* positus. Re vera sol extremum radit neque altius surgit; at Tacitus rem non satis cognitam habens etiam hic de sole cadente loquitur. — Dicit *edurat in ortus*, numero plurali, quia sol singulis diebus oritur. De re ipsa recte sensit Plin. H. N. II, 77. *Sic fit, ut vario lucis incremento in Meroe longissimus dies XII horas aequinoctiales et octo partes unius horae colligat, Alexandriae vero XIV horas, in Italia XV, in Britannia XVII, ubi aestate lucidae noctes haud dubie repromittunt id quod cogit ratio credi; solstitii diebus accedente sole propius verticem mundi, angusto lucis ambitu, subiecta terrae continuos dies habere senis mensibus, noctesque e diverso ad brumam remoto. Quod fieri in insula Thule Pytheas Massiliensis scripsit, sex dierum navigatione in septemtrionem a Britannia distante: quidam vero et in Mona,*

tantum natura. Ergo iam dextro Suevici maris litore 2
***Aestyorum* gentes alluuntur; quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior. matrem deum venerantur. insigne superstitionis formas aprorum gestant: id pro armis omniumque tutela securum deae cultorem etiam inter hostes praestat. rarus ferri, fre-** 3

quae distat a Camalduno Britanniae oppido circiter ducentis milibus, affirmant. IV, 30. *Thule in qua solstitio nullas esse noctes indicavimus, Cancri signum sole transeunte, nullosque contra per brumam dies. Hoc quidam senis mensibus continuis fieri arbitrantur.* Add. Mela III, 6. Tacit. Agric. 12. et Diltheius ad h. l. — In nonnull. codd. et vett. edd. est *insuper emergentis audiri.* Lipsius vult *se mergentis*, Pichena aut *mergentis* aut *se mergentis*, Colerus *immergentis.* Gruterus cum bonis codd. delevit, quem omnes deinceps editores sunt secuti. Mihi *emergentis* videtur profectum esse a librario, qui verbum participio *cadentis* oppositum desideraret. — Fuit veterum, praecipue Epicureorum opinio, solem in Oceanum descendentem edere stridorem ferro candenti in aquam immisso simillimum. Attulit hac de opinione Passovius Bakium ad Posidonium Rhod. p. 69. Cleomed. Cycl. Theor. 2, 1. p. 453. Interprett. Valer. Flacc. 2, 36. Iuven. XIV, 280. Stat. Silv. 2, 7, 27. Cleomedis locum repetiit Casaubon. ad hunc locum Strabon. III. p. 138. *λέγειν γὰρ δή φησι Ποσειδώνιος τοὺς πολλούς, μείζω δύνειν τὸν ἥλιον ἐν τῇ παρωκεανίτιδι μετὰ ψόφου παραπλησίως ὡσανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σβέσιν αὐτοῦ διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθόν.* — *Formas deorum* Kirchmaier intelligit *spectra et daemonum apparitiones.* Colerus, Conringius, Faber malunt *formasque equorum*, quod de Phoebi equis et capitis eius radiis intelligi potest. — Verba *illuc usque et fama vera tantum natura* pro incorruptis habet Lipsius, qui ait: „loquitur ut physicus, sed illius aevi, qui censebant, Oceanum finem rerum neque ultra Naturam (hanc inferam) esse." Item Diltheius, qui interpretatur: *so weit nur geht die Natur und die Sage davon ist wahr.* — Avitus in Sen. Suasor. I. *ita est rerum natura et post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.* Ex virorum doctorum hariolationibus sola Grotii emendatio digna est quae repetatur: *si vera fama.* Emmerling. verba *et vera fama* pro spuriis habet; et sane abesse possunt.

ergo iam dextro — laborant] *Ergo* positum ut post parenthesin. vid. ad cap. 19. annectitque orationem iis quae initio cap. 44. dixit: *Suionum hinc civitates — valet*; et par-

quens fustium usus. frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia labo-

ticula *iam* refertur ad illa verba *in Oceano:* Also bereits auf dem rechten Ufer etc. Aestuique eximuntur e numero civitatum Suionum. — *Mare Suevicum* est mare Balticum (Ostsee), dictum Plinio (IV, 27.) et Melae (III, 3, 4.) *sinus Codanus* (d. Gothische Meerbusen), cuius in littore dextro habitarunt *Aestui.* Apud quos cum succinum sit collectum, patet Aestuos incoluisse Borussiam; atque si *Esthonia* (Estland) quae nunc dicitur, horum Aestuorum finibus fuit comprehensa, hi fines latissime patuerunt; id quod est credibile, cum Tacitus dicat *Aestuorum gentes*, ut de Suevis cap. 38. *quorum non una gens;* de Lygiis cap. 43. *quorum nomen latissime patet, in plures civitates diffusum.* Eorum nomen in nomine *Esthen* superesse videtur et *gentes orientales* (Völker des Ostens) significare. Conf. Werseb. p. 243 sq. Mannertus autem Tom. III. p. 306 sq. hos Aestuos censet esse eosdem, qui a Pythea (Strab. I, p. 63.) vocantur Ὀστιαῖοι. Idem sentiunt Wilhelm. p. 345. et Reichard. p. 88. Adversatur Diltheius ad Taciti locum. Item Reichardo p. 236. *Codanus* idem sonat quod *Kattegat.* — Quod de Britannorum et Aestuorum linguarum similitudine hic Tacitus adiicit, id longe est incertissimum; fuit autem in ea opinione, Britannorum partem esse originis Germanicae. Agricol. 11. *namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus, Germanicam originem asseverant.* Conf. Werseb. p. 244. et Diltheius ad h. l. — Coluerunt *matrem deum*, i. e. deam, quae romana interpretatione erat Cybele. Ea fueritne Hertha, quam complures gentes Suevicae coluerunt (cap. 40.), an eadem quae *Sieba*, numen Wendorum, atque *Frigga* Scandinaviorum, id prorsus est incertum. Moneio T. I. p. 66. T. II. p. 26. videtur esse *Emmajökki.* — *Formae aprorum*, quas gestant, non sunt signa militaria, qualia commemorantur cap. 7. et Hist. IV, 22. sed *amuleta* (Talismane), quae eos qui gestant, adversus omnia tuentur. Conf. Diltheius ad h. l. *Tutela omnium* est id quod ab omnibus periculis defendit, ut cap. 46. *ferarum suffugium;* quod dixit Cicero Tusc. I, 25. 62. *praesidia contra feras.* Recte locum intellexit Selling. p. 28. De amuletis Hessius citat: Grotefend. in Ersch. et Grub. Encyclop. Vol. III. p. 428. — Emele über Amulete und das was darauf Bezug hat. Mainz, 1827. 8. — Ut hic *frumenta laborant* est *laborem collocant in frumentis fructibusque colendis*, ita apud Stat. Theb. III, 379. *arma laborare* significat *laborando conficere.* De Germanorum inertia conf. cap. 14.

**rant. sed et mare scrutantur, ac soli omnium succi-
num, quod ipsi *glesum* vocant, inter vada atque in
ipso littore legunt. nec quae natura quaeve ratio 4
gignit, ut barbaris, quaesitum compertumve. diu quin
etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec
luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo usu: rude
legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes acci-
piunt. succum tamen arborum esse intelligas, quia 5
terrena quaedam atque etiam volucria animalia ple-
rumque interlucent, quae implicata humore mox du-**

succinum — cluduntur] *Succinum* dictum, quod arborum succum esse veteres credidere, auctoribus Tacito et Plinio H. N. XXXVII, 11. graece ἤλεκτρον, germanice *Glesum* a Glas, Glanz, quod Graeco vocabulo solis fulgorem significanti respondet. Hom. Iliad. IV, 513. Hodie *Austein, Agstein, Aydstein, Agesten, Pornstein* vel *Bernstein*, ipsis Borussis *genitar* vel *gentar*. De succini historia ab Hessio citantur Salmas. ad Solin. T. I. p. 234. Schlözer, hist. univ. septemtr. p. 8. 22. 34. 122. Gesner. de Electro, in Com. soc. scient. Gott. T. III. p. 67 sq. I. H. Vossius, notit. orb. ant. in Ephem. lit. Ien. 1804. T. II. p. XXXII. Ph. Iac. Hartmanni succincta succini Prussici historia. Berol. 1699. 8. Allg. Encyclop. v. Ersch u. Gruber. T. IX. p. 28. Diltheii Commentat. de Electro et Eridano. Darmstadt. 1824. 4. — Add. Joh. Voigt, Geschichte Preussens etc. T. I. 1827. in quo (p. 19 sqq.) omnia quae spectant terram, in qua succinum colligitur, sunt congesta; huiusque libri censura in Ergänz. Bl. z. Hall. A. L. Z. 1829. n. 16 sqq. — Restitui *gignit*, quae lectio exstat in cod. Tur. nonnullisque vett. edd., quamquam coniunctivus commendari videtur hoc loco Agricol. 11. *ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum.* Plurimos grammaticos qui ad usum indicativi illustrandum exempla congesserunt, Hessius commemoravit. — Aliis locis, ubi *ratio* opponitur *naturae*, fere ita usurpatur, ut significet id quod philosophi dicunt eine Intelligenz als Ursache. Id quod in hunc locum non cadit, neque alios assentientes habebit Emmerling., qui pronomen *quae* pro accusativo habet totumque locum sic intelligit: es war ihnen iedoch als einem rohen Volke nicht darum zu thun zu untersuchen, was die Natur erzeugt und die Kunst zu schaffen vermag. Huiusmodi sententia generalis ab hoc loco est alienissima. Gutmannus interpretatur Entste-

6 **rescente materia cluduntur. fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quae vicini solis radiis expressa atque li-**

hungsart. Neque hoc probari potest. Mihi Tacitus hoc videtur dixisse: welche natürliche Ursachen oder in welchem Verhältnisse unter einander dieselben zur Erzeugung dieses Produktes wirken —. *Eiectamenta* dixit etiam Apul. Apol. p. 297. *Muscus, alga, et cetera maris eiectamenta, quae ubique littorum ventis expelluntur, salo exspuuntur, tempestate reciprocantur, tranquillo deseruntur.* Achill. Tat. II, 11. c. Iacobs. animadv. p. 522. ὡς δὲ εἶδε τοῦ κόχλου τὴν τραχύτητα, ἐλοιδόρει τὴν ἄγραν καὶ ἔῤῥιψεν ὡς θαλάσσης σκύβαλον. — Substantiva eiusdem formae cuius est *eiectamentum*, I. Aem. Wernicke in programmate *de Elocutione Taciti*, Thoruni 1829. edito, p. 34. haec collegit: cognomentum (Ann. 13, 39.), dehonestamentum (Ann. 12, 14. Hist. 2, 87. 4, 13.), delinimentum (Ann. 15, 63. Agric. 21.), hortamentum (Hist. 4, 18.), imitamentum (Ann. 3, 57. 13, 14. 14, 57.), irritamentum (Ann. 5, 45. 13, 46.), libramentum (Hist. 3, 23.), machinamentum (Hist. 4, 30. Ann. 12, 45. 15, 4.), meditamentum (Hist. 4, 26. Ann. 15, 35.), oblectamentum (Ann. 14, 16. 21. 52. 16, 18.), placamentum (Hist. 1, 63. Ann. 15, 44.), spiramentum (Agr. 44.), temperamentum (Hist. 3, 38.), turbamentum (Hist. 1, 23.), velamentum (Hist. 1, 60.). Adde tentamentum (Hist. 2, 38.). — *Nomen* est claritas, nobilitas. — *Informe* (roh, unverarbeitet) *perfertur* per Pannoniam ad Adriaticum mare. — Plin. 37, 11. 2. *liquidum primo destillare argumento sunt quaedam intus translucentia, ut formicae aut culices lacertaeque, quas adhaesisse musteo non est dubium, et inclusas indurescenti.* In bestiolas succino inclusas epigrammata fecit Martialis, ut in apem IV, 32., in viperam IV, 59., in formicam VI, 15.

fecundiora igitur nemora — quae expressa etc.] Non est substantivum, ad quod pronomen *quae* referatur. Assumenda est igitur ex verbis *fecundiora nemora* notio *succinorum* eoque pronomen *quae* referendum. Dura sane oratio; quae tamen durities eo mollitur, quod haec sunt interserta: *thura balsamaque sudantur.* Loci sententiam Güntherus bene ita reddidit: *quorum succus — expressus et liquefactus labitur.* „*Thura* proveniebant in regione Sabaeorum. Plin. H. N. XII, 13. Salmas. Exerc. Plin. T. I. p. 496. Virg. Georg. I, 57. II, 15 sq. *balsama* praeter Iudaeam etiam in Arabia. Conf. Voss.

quentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa littora exundant. si naturam succini 7
admoto igne tentes, in modum taedae accenditur, alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit.

Suionibus *Sitonum* gentes continuantur. cetera 8
similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant.

CAP. XLVI. Hic Sueviae finis. *Peucinorum Venedorumque* et *Fennorum* nationes Germanis an Sarmatis ascribam dubito, quamquam *Peucini*, quos quidam *Bastarnas* vocant, sermone cultu sede ac domiciliis ut Germani agunt. sordes omnium ac torpor procerum: connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum

ad Virg. Georg. II, 118. p. 309. Salmas. Exerc. Plin. T. I. p. 579 sq." *Hess.* Bredovius insuper citavit Plin. XVI, 32. Tacit. Hist. V, 6. De balsamo vid. etiam Iustin. 36, 3. — Pro *resinamve* alii habent *resinamque*. Vossius ad Virgil. Georg. I, 442. p. 183. monuit, a Virgilio *ve* et *que* promiscue usurpari. Vere hoc esse dictum, et de aliis quoque scriptoribus valere, etiam inde mihi videtur apparere, quia quod graece *εἴτε* — *εἴτε*, id latine *sive* — *sive* effertur. — *Sitones* Wersebio (p. 244. not. 329.) habitasse videntur in Sudermannia; Reichardo (p. 175.) ad lacum Mälar. Eorum fuit oppidum *Situn*, etiam *Sig-tuna* dictum, quod anno 1008 ab Olofo Haraldsono est dirutum. „Degenerant a libertate, quia ceteri Germani fere omnes liberi, hi servi. Degenerant a servitute quia servientes populi regibus ideoque hominibus servire solent, hi feminis." *Pichena.*

CAP. XLVI. *Peucinorum, Venedorumque et Fennorum — foedantur*] *Peucini* s. Bastarnae, antiquissimis temporibus in orientem a Vistulae fontibus consederant, eorumque sedes longe lateque in ripa Danubii septemtrionali usque ad ostia huius fluvii pertinuerunt. Peucini sunt dicti, postquam insulam Peucen inter Danubii ostia occupaverant. Conf. Wilhelm. p. 92. Mannert. III. p. 394. qui insulam existimat Peucen nominatam esse a Peucinis. Longe aliter sentit Wersebius (p. 246. et p. 248. not. 332.), qui Peucinis sedes assignat in parte occidentali Poloniae magnae inter Wartham et Vistulam ad usque Piliczam fere. — Sunt autem *Bastarnae* et Peu-

2 habitum foedantur. *Venedi* multum ex moribus traxerunt: nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt et scuta gestant et peditum usu ac pernicitate gaudent; quae omnia diversa Sarmatis sunt,
3 in plaustro equoque viventibus. *Fennis* mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus sola in
4 sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. idemque venatus viros pariter ac feminas alit: passim enim

cini omnium antiquissima gens Germanica, quam certa monimentorum fide novimus. Primum in notitiam prodeunt aetate Persei ultimi regis Macedonum in bellis quae contra Romanos gessit. Conf. Mannert. p. 394. — *Venedi* habitarunt in dextro latere Vistulae in palatinatibus Plocz et Masovia. Ab his Venedis postero tempore universi Slavi videntur appellati esse *Wenden.* Conf. Werseb. §. 25. p. 247. — *Fenni* sunt, qui hodie vocantur *Finnen.* Conf. Werseb. p. 245. Wilhelm. p. 347 sq. — De *Sarmatis* conf. dicta ad cap. 1. — In iis quae sequuntur, Rhenanus orationem distinguit post *torpor*, quod Pichena probat et Bekkerus retinuit; verisimile enim esse, non a plebeiis hominibus uxores ex Sarmatia usque ductas, sed a proceribus tantum, et ideo scriptorem dicere, *mixtis procerum connubiis*, i. e. inter proceres Bastarnas et Sarmatas. Quod equidem minime probo. Cur enim negabimus, etiam plebeios huius gentis homines ex Sarmatia uxores duxisse? Tum *habitus* non est referendus ad victum cultumque, sed est *corporis habitus*, ut cap. 4., foedusque corporis habitus exstitit ex mixtis omnium connubiis, indeque proprius Germanorum habitus (cap. 4.) deformatus. Si tantum proceres uxores e Sarmatia duxissent, non universa gens in Sarmatarum habitum foedata esset. Coniungendum igitur *torpor procerum* (natürliche Geisteserstarrung und Stumpfheit), quo differebant ab alacritate et vigore ceterorum Germanorum, de quo dictum cap. 14.

Venedi multum ex moribus — spe metuque versare] Hoc videtur Tacitus dicere: *Venedi* non quidem foedantur in Sarmatarum habitum, at *multum ex* eorum *moribus traxerunt.* — *Domos fingunt*, quod oppositum est mori Sarmatarum in plaustro viventium, non in domibus firmis et stabilibus. Qui primus erravit *figunt*, certe non infeliciter erra-

**comitantur partemque praedae petunt. nec aliud in-
fantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in
aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iu- 5
venes, hoc senum receptaculum. sed beatius arbitran-
tur quam ingemere agris, illaborare domibus, suas
alienasque fortunas spe metuque versare. securi adver-
sus homines, securi adversus deos, rem difficillimam
assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit. Cetera 6**

vit. Lipsii autem mutatione *pedum* quam etiam Rothius in Taciti synonym. p. 48. reddidit, facile caremus; Tacitus enim de peditum usu in bello cogitat. — Verba *in plaustro equoque viventibus* non ita sunt urgenda, tamquam Sarmatae praeter equos et plaustra non habuerint domicilia seu cubilia. Describuntur ἁμαξόβιοι. Vid. Herodot. IV, 46. cum notis Valck. et Wesseling., interprett. Horat. Od. III, 24. 10. Werseb. p. 252. not. 336. — *Sagittas ossibus asperant* i. e. spiculorum ferreorum vice ossa iis praefigunt, et ita asperas reddunt. Eodem modo adhuc Sibiricae gentes utuntur ossibus et piscium spinis. — Rhenanus *id beatius*. Dedimus cum Bekkero *sed*, quod est in veteribus editionibus. Verba *quam ingemere agris, illaborare domibus* Gesnerus in thesauro s. v. *illaborare* col. 970. ita interpretatur: quam magno labore agros colere, aut in domibus laborare, sive domi aliquid operis laboriosi facere. *Ingemere agris* est apud Virgil. Georg. I, 45. *ingemens laboribus* ap. Horat. Epod. 5, 31. *Illaborare*, quod ad similitudinem verbi *ingemere* est factum, praeter hunc locum non reperitur; *illaboratus* autem est *non laboratus*. Nam praepositio *in* si cum verbo ipso eiusque omnibus temporibus et modis iungitur, fere suam vim amittit, si cum eius participio et cum adiectivo aut substantivo, plerumque negandi vim habet. Conf. C. D. Beckii artis latine scribendi praecepta, p. 22. Bentleius ad Horat. Od. III, 3. 18. Potest ex hoc Taciti loco aliquid auctoritatis accedere scripturae unius cod. in Horat. A. P. 101. *afflent*. — Quae sequuntur *suas alienasque fortunas spe metuque versare*, describunt condicionem negotiatorum Romanorum, qui suas alienasque fortunas inter spem metumque lucri caussa *versant* s. *tractant*. Nudi ablativi *spe metuque* similes sunt hisce in Agric. 6. *tribunatus annum quiete et otio transiit*.

securi adversus deos — in medium relinquam] „Videtur sensus: his gentibus quippe adversus hominum caelique iniurias ob paupertatem securis deos votis fatigare non opus fuisse.“ *Pich.* Recte *esset*. Ita Cic. Off. I, 8. 25. *quibus rebus*

iam fabulosa: *Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere,* quod ego ut incompertum in medium relinquam.

effectum est, ut infinita cupiditas pecuniae esset. Ubi Beier (p. 56.) citat N. D. I, 4. 8. ex. *tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur.* — *Hellusii* videntur esse incolae provinciae Suedicae Halland et iidem quos *Hilleviones* appellat Plinius H. N. IV, 27. *Feruntur et Oonae, in quibus ovis avium et avenis incolae vivant. Aliae, in quibus equinis pedibus homines nascantur, Hippopodes appellati. Fanesiorum aliae, in quibus nuda alioquin corpora praegrandes ipsorum aures tota contegant.* — *Sevo mons ibi immensus — immanem efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis: quarum clarissima Scandinavia est, incompertae magnitudinis, portionem tantum eius, quod sit notum, Hillevionum gente D incolente pagis.* — *Oxiones* videntur iidem esse quos *Oaeonas* appellat Mela III, 6. 8. *In his esse Oaeonas, qui ovis avium palustrium et avenis tantum alantur.* Apud Plinium *Oonae* est nomen insularum. — Vid. Werseb. p. 251. not. 335. — Constat etiamnum incolas littoris Europae septemtrionalis plerumque vesci ovis anseris Bassani. Mannert. III. p. 304. — Locutione *in medium relinquere* utitur Gellius VI, 14. Idem lib. XVII, 2. ex Q. Claudii annali primo: *nos in medium relinquemus.* Gellius ipse addit: *vulgus in medio dicit. nam vitium esse istuc putant: et, si dicas in medium ponere, id esse soloecum putant. sed probabilius significantiusque sic dici videbitur, si quis ea verba, non incuriose introspiciat. graece quoque θεῖναι εἰς μέσον, vitium id non est.* Add. Ramshorn. gram. lat. p. 470. not. 2. Est haec dicendi ratio expedienda per breviloquentiam, tamquam sit dictum: in medium positum relinquam. Cicero pro Caelio 20, 48. *tantum in medium relinquam,* i. e. controversum relinquam, nihil statuam, vel constituam.

INDEX NOTARUM.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.


37
38
39
40
29
Cylipenus Busen
Vorgebirge Rubeas
OCEAN
Rhubon Fl.
57
EN
u s e
dan
Carrhodunum
LYGIER
Leucaristus
BASTARNEN
50
Menosgada
r Bergwald
Asanca
bacum
EN
Carpates Gebirge
49
Vallatum
Veloriana
Sumontorium
METANASTEN-IAZYGEN
ANARTER
48
Theiss
Tibiscus Fl.
Amber
Febianae
Bratananium
Carpi
Campona
Contra Acincum
Parthanum
Scarbia
Veldidena
DACIEN
29
37
38
39